l

6.

DISPVTATIO PHILOSOPHICA, DE DISTINCTIONIBVS, IN CATHOLICA ET CELEBRI VVirceburgensi Academia, circa studiorum renouationem, anno 1590. mense Nouemb. die proposita.

Respondente pro Magisterij gradu,

INGENVO ADOLESCENTE, & artium liberalium Baccalaureo, IOANNE STRECKIO, Vdenheymensi; & E SOCIETATE IESV, IOAN. REINHARDO ZIGLERO, OEDENCOVIENSI.

Præside

M. IOAN. MÖLHVSINO, THVRINGO.

WIRCEBVRGI,
Excudebat Henricus Aquensis. Anno 1590.

REVERENDISSIMO AC ILLVSRISSIMO PRINCIPI, DOMINO, D. EBERHARDO à DIENHEIM, religiosissimæ Nemetum Ecclesiæ Antistiti, Weissenburgensi Præposito dignissimo, & Imperialis Cameræ Spiræ Iudici æquissimo, &c. Domino ac Principi suo clementissimo. S.

NAturam, rerum omnium moderatricem, ac prouidam vtilitatum opportunitatumque communium, Princeps Reuerendissime ac Illustrissime, mirabilem quendam erga patriam amorem, mortalium animis indidisse, fortissimorum virorum præclarè facta, satis attestantur. Quid enim Publium Decium, Romanum consulem (vt cæteros omittam, qui nec pauci nec ignobiles) vitam, qua charius hominibus vix quicquam esse solet, aspernari coëgit? Patriæ charitas. Nam cum bello Latino, positis apud Veserim fluuium castris, partem suam inclinare, resq́; Romanas penè iam prostratas & concisas iacere videret, seipsum & Latinos hostes Dijs manibus deuouit, ac protinus concitato equo, impetu in hostes facto, salutem patriæ, ingenti facta strage, suis vulneribus, sanguine, morteq́; propria, recuperauit atque restituit.

Huc etiam præclara illa vox pertinet, & sempiterna memoria digna, Lacænæ, cuius Cicero in Tusculanis meminit, quæ cùm filium in prælium misisset, & interfectum audisset, iccircò, inquit, genueram, vt esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. Sed, cùm patriæ tantus amor nobis ingenitus sit, an in eos qui eandem sartam tectam nobis conseruant tuenturque, studium nostrum & officium nullum erit? Sanè debet esse quam maximum. Si enim eorum virtuti, qui suis laboribus, curis, vigilijs, patriam vel pepererunt vel au-

xerunt, omni pietate & officio satisfacere gestiamus (sic enim Poeta, Aeneam suos compellantem introducit;

—— Egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo; decorate supremis
Muneribus.) *verissimeq́; dictum ab illo sit;*
Non minor est virtus, quam quærere parta tueri;

Cui quæso dubium esse poterit, quin patriæ etiam Seruatoribus & tutoribus, omnia debeamus? Voluit huius rei magnum specimen Pop. Rom. in Quint. Fabio Max. humando enitere. Nam cùm iste quinque consulatibus ingenti Reip. Rom. commodo administratis, ab hominibus demigrasset, certatim sumptus contulit, quo maior ac speciosior eius funeris pompa duceretur. Nunc verò, quanta tu solicitudine, industria, prudentia, labore, Episcopatum Spirensem, patriam meam charissimam, tot iam annis conseruâris ac tutatus sis, Princeps Reuerendissime ac Illustrissime, cùm in omnium ore versetur, ignorare nemo potest. Hæc igitur causa satis iusta mihi visa est, cur has meas de distinctionibus philosophorum theses, amplissimo tuo nomini nuncuparem, non quod tam magna & insigni doctrina eas abundantes esse arbitrarer, aut tanto verborum nitore & splendore elaboratas, vt in tanti Principis nomine apparere possent, sed quò pro summis beneficijs, quibus patriam meam vniuersam ornare & locupletare pergis, grati etiam mei animi significationem aliquam darem, præsertim cum quam beneuola in te voluntate vniuersi tui subditi essent, satis intellexissem. DEVS Opt. Max. sua gratia & benignitate ita te complectatur tueaturq́;, vt non modò nos Spirenses, sed Germania vniuersa, diu te florentem & incolumem fuisse gaudeat. Vale. VVirceburgi, ex Kilianeo, 14. Septemb. Anno Dom: 1590.

Reuerendiss. ac Illustriss. C. T.

Humillimus Cliens,

Ioan. Streckius Vdenheymensis.



CARMEN
AD INGENVVM ADOLESCENTEM,

IOANNEM STRECKIVM, ARTIVM, ET PHILOSOPHIAE BACCALAVREVM, BENEVOLENTIAE ERGÔ SCRIPTVM,

A

M. ADAMO VOGELIO, EVRDORFfiano, Francone; SS. Theologiæ auditore.



Icccinè præ reliquis, Musarum munere, Strecki,
Fulges? Sic alijs celsior ire paras?
Aonidum certè amplexu dignißime, nec non,
Vinciri myrto, tempora, colla, comas.
Quod cyrcæa, quibus dominatur Iuppiter, arua,
Liqueris, & Sophici cœperis esse chori.
Abdita vbi Astrorum sensu rimaris acuto,
Vnde fretum restuat, terra vel vnde tremat.
Cynthia cur lateat velatis mœsta capillis,
Qua Iubar auricomum, sol ratione tegat.

Num tangi sentis cœlesti rore medullas?
Atque DEI afflatu, feruida corda regi?
Vt Iunonis auis, stellatas explicat alas,
Ingenij, varias tu quæque pandis opes.
Ergo, haud immeritò vocitaris Streckius, ergo,
Conueniunt rebus, nomina sæpè suis.
Macte animo, studijs temet seruato secundis,
Et præsume sacro pectore; maius opus.
Virtutem exerce, (Quid enim submersa tenebris
Proderit?) hoc Phœbus, Pieridesq́; iubent.
Nam lyra si reticet, vel si non tenditnr arcus,
Qua ratione potest vtilis esse? Vale.



SYNO-

SYNOPSIS DISTINCTIONVM, TOTA HAC DISPVTATIONE EXPLICATARVM.



- Distinctionum aliæ
  - Aristotelis,
    - Numerica.
    - Specifica.
    - Generica.
    - Ex subiecto, vel materia.
    - Secundum formam.
    - Secundum modum.
    - Secundum actum & potentiam.
  - Aliorum Philosophorum, qui sunt, vel
    - Nominales, qui fatentur,
      - Realem.
      - Rationis.
      - Formalem, sed in diuinis duntaxat.
    - Scotistæ, qui 7. numerant.
      - Rationis.
      - Ex natura rei.
      - Formalem.
      - Realem.
      - Essentialem.
      - Subiectiuam.
      - Obiectiuam.
    - Thomistæ, quorum alij agnoscunt,
      - Realem, & Rationis.
      - Realem. / Rationis
        - Ratiocinantis.
        - Ratiocinatæ.
      - Realem. / Formalem. / Rationis
        - Ratiocinantis.
        - Ratiocinatæ.



DISPVTATIONIS, DE DISTINCTIONIBVS PHILOSOPHORVM, PARS PRIMA.

ASSERTIO PRIMA.



ESSE aliquas rerum diſtinctiones, apertum & antè omnium oculos, poſitum eſt. Quanti verò harum cognitio facienda ſit philoſopho, Socrates, qui, vt ait (a) Cicero, primus philoſophiam deuocauit è cœlo, & in vrbibus collocauit, ſatis apud Platonem, in (b) Phædro teſtatur, dum ſic inquit; ſi quem offendero, qui ſciè & aptè, vnum multaque poſsit diſcernere, hunc à tergo, tanquam Deum conſector. Quid ergo diſtinctio ſit, & quænam eius genera, diligentius explicare conandum eſt.

a lib. 5. Tuſcul. quæſt.

b circa finem.

II.

Sed cùm diſtinctionis cognitio, ex identitatis notitia, facilius innoteſcat, quid identitas ſit, aduertamus oportet; hanc verò Ariſt. (c) ſic deſcribit. *Identitas, eſt vnitas ipſius eſſe, plurium, vel eorum, quæ vt plura ſumuntur*; ac ſi dicat, eſt aliquorum circa aliquod eſſe indiuiſio. Etenim cùm pluribus commune quippiam eſt, tum eius ratione, eadem dicuntur; vt quibus vna communis natura, illa ſpecie eadem ſunt. Dicit autem Ariſt. *plurium, vel eorum, quæ vt plura ſumuntur*; quòd aliquando in rebus ipſis, plura non ſint, ea, quæ tamen non ſecus, ac ſi multa eſſent, eadem vocantur; ſic Socrates ſibiipſi idem appellatur.

c 5. metaphyſ. t. 16. c. 9.

III.

Ex hac identitatis deſcriptione, licebit hanc colligere definitionem diſtinctionis; *Diſtinctio, eſt diuiſio, in quodam eſſe, plurium, vel eorum, quæ vt plura ſumuntur*; vt illa dicantur diſtincta, quæ in aliquo eſſe non conueniunt. Sic homo & equus ſe habent; & Socrates, abſolutè conſideratus, & quatenus pòſt, de ſeipſo, enunciatur; homo enim & equus v. g. naturam eandem ſpecie non habent; & Socrates, quatenus de ſeipſo dicitur, eſſe quoddam rationis, ſibi vendicat, quod ſimpliciter & abſolutè ſpectatus, non participat. Vnde, priora illa, in aliquo reali, at poſteriora iſta, in aliquo rationis eſſe, non conueniunt, quare & differunt.

IIII.

Ne autem, de diſtinctionibus acturi, confusè & indiſtinctè omnia diſpergamus; primo loco, quibuſnam diſtinctionibus, vſus fuerit Ariſt. tum, quibus alij; & tandem, quibus vtendum ſit, quantum quidem fieri poteſt, breuiter, clarè, & diſtinctè docebimus.

DE DISTINCTIONIBVS ARIST. ET PRImùm, de identitate & diſtinctione numerica, ſpecifica & generica.

V.

Identitatis & diſtinctionis numericæ, ſpecificæ, & genericæ, ſæpius commeminit Ariſt. Primo enim Topic. *(d)* ſic ait. Idem tripartitò diſtributum eſt; aut enim numero, aut ſpecie, aut genere, idem ſoliti ſumus dicere. Numero quidem eadem ſunt, quorum & nomina plura, & res eadem eſt, vt veſtimentum & veſtis. Speciei autem eiuſdem ſunt ea, quæ multa ſunt, neq; ſpecie differunt; vt duo homines, duo equi. Itemque eiuſdem generis ſunt illa, quæ eidem generi ſubijciuntur, vt homo & equus. *(e)* Genere verò differunt, quorum non eſt communis materia, nec generatio adinuicem, quorum alia figura categoriæ. Ibidem, *(f)* diuerſa ſpecie dicuntur, quæcunque cum eiuſdem ſunt generis, non ſunt ſubalterna, &c. Quæcunque verò multa *(g)* numero ſunt, materiam habent. Identitatis *(h)* etiã analogicæ, non raro meminit.

d cap. 6.
e 10. metaphyſ. t. 12. c. 1. ſum: ſecunda. & 5. metaphyſ. t. 33. cap. 28.
f t. 16. c. 9. item 10. metaph. t. 24 c. 7. & t. 25. c. 8.
g t. 49 c. 4. ſum. ſec. 12. metaph.
h 12. metaphyſ t. 22. 26. 28 c. 4. ſum. prima.

DE IDENTITATE ET DISTINCTIOne ex ſubiecto.

VI.

Subiecti nomen, pro omni eo accipi poteſt, quod alicui ſubijcitur, ſiue materia ſit, ſiue forma, ſiue ex vtraque compoſitum; & ſiue id quod recipitur, forma ſit ſubſtantialis, ſiue accidentaria, ſiue ſolum eſſendi quidam modus. Et in vniuerſum, quandocunq; vt ait *(i)* Comment. Vnum ſe habet vt deferens, alterum vt delatũ, tunc, & alterum ſubiecti, alterum, adiuncti vel formæ locum obtinet. Ergò, vbi quippiam vt ſibiipſi ſubiectum concipitur, vt ens qua ens eſt, v.g. ibi & vtriuſque identitas intelligitur; vbi vnum vni ſubſternitur, ibi etiam vnum ſubiecto & vnũ formâ eſt; quod ſi vnum

i 12. metaphyſ. com. 39.

ſi vnum duobus ſubijci dicatur, vt cùm idem & calidum eſt & dulce, ſubiecti identitas, formarum verò diuerſitas & diſtinctio admittenda. Si duo ſubiecta, & ſua ſub forma quodlibet concedatur, & ſubiecti & formæ quædã eſt admittenda multitudo & varietas.

Vnitate & identitate ſubiecti, locis quamplurimis vtitur Ariſt. ex quibus nullo negocio intelligetur, quidnam ex ipſius mente, de diſtinctione ex ſubiecto, ſit dicendum. Aliud (k) enim, inquit, album eſt, aliud muſicum ratione; idem tamen eſt vtrumq;. Idem inquam, Subiecto, vt D. Thom. & Auer. explicant, & poſt illos alij. Alibi verò, (l) poſſe ægrotare, & poſſe ſanari, eadem non ſunt, ſed ſubiectum horum vnum eſt & idem.

k 1. phyſ. t. 21. cap. 2.

l 3. phyſ. t. 10. c. 2. itẽ t. 18. c. 3. 4. phyſ. t. 50. c. 6. 2. de ani. t. 141.

Huc ergò, identitas & diſtinctio, ex materia, referri poteſt, cuius (m) nonnunquam Ariſt. facit mentionem.

m 1. de anima. t. 53 c 3. item 10. metaphyſ t. 24. & 25. c. 7. & 8. ſum. ſecunda.

DE IDENTITATE ET DISTINCTIONE ſecundum formam, modum, actum & potentiam.

VII.

Formam accipimus pro quacunque, ſiue ea realis ſit, ſiue etiam intentionalis, phyſica vel metaphyſica, qua ratione, & ipſa definitio, forma eſt. His autem modis, ſecundùm eam, identitas conſideratur. I. Maximè illa eandem formam habent, quæ cùm res vna eademq; ſint, diuerſa ſolum ſortiuntur nomina, vt enſis & gladius, vel etiam ea, quorum vnum eſt alterius definitio, quo pacto homo, & animal rationale, eandem formam habere dicuntur. II. Ad hanc identitatem, illa accedunt proximè, quæ cùm diſtincta ſint, eâdem tamen numero formâ gaudent; quo pacto plures eiuſdem hominis partes, & ratione quadam diuerſæ, vna indiuiſibili anima rationali, informantur. Sic Arabica illa intelligentia aſsiſtente, plures homines fruerentur, ſi reperiretur. III. Pòſt hæc, ſequuntur duo vel plura, eiuſdem ſpeciei indiuidua, quod enim vna & eadem ſit eorum definitio, formâ etiam quodammodo eadem dicentur. IIII. Tandem, illa quoque eadem hoc pacto exiſtimari poſſunt, quæ eandem quidem, ſed ſecundum eſſendi modum, aliam atque aliam formam habent, vt artifex, qua eſt talis, & res arte facta. (n) Quâ enim formâ, res artificioſa fit, eâdem & artifex, ſed modo longè diſsimili.

n colligitur hoc ex Ariſtot. 1. de partib' c. 1. 2 de gen. animal. c. 1. 7. metaph. t. 23. & 12. met. t. 18. & 24.

o Arist. 1.phys. t.21. c.2.& t.60. cap. 7.
p Auer. & Tole. idē 4.phys. t.84. c.9. & 1. de gen. t.35 c.5.3. de ani. t.5. & t 37. & 38.
q Aristot. 2. de ani. t. 47.
r 3. de ani. t. 11.

Hoc distinctionis genus, Arist. valde frequens est. *(o)* Ea quæ sunt, ait, multa sunt ratione. Item, subiectum mutationis, etsi numero vnum sit, non tamen specie vnum; atque pro eodem accipio, specie, rationeque differre. Non enim est eadem, hominis & immusici, ratio, id est, *(p)* definitio.

Distinctionis secundum modum, si tamen ab hac est diuersa, meminit, cùm sic ait; *(q)* alimentum ipsum, pro vt quantum est, auget; pro vt substantia, nutrit. Item, *(r)* fit, vt hæc (carnem & esse carnis) etiam alia, vel alio modo sese habente, (animi parte) cognoscamus.

s 3. phys. t. 8. c. 2. item 2. de ani. t. 148. 3. de anima, t. 23. 7. metaph. t. 49.

Distinctionem secundum actum & potentiam, iterum & sæpius vsurpat. Quoniam autem, *(s)* inquit, aliqua potentia sunt atque actu, at non simul, aut non eodem, sed vt quippiam calidum quidem est potentiâ, frigidum autem actu, complura iam vicissim agent, & patientur.

DE DISTINCTIONIBVS NOMINALIVM.

Hæc de ijs distinctionibus breuiter dicta sint, quas Aristoteles vsurpauit. Restat nunc, vt exponatur, quidnam posteriores philosophi, ijque maximi scholastici, de ijsdem senserint. Primò autem, Nominalium de hac re sententiam explicabimus, qui hoc potissimum sequuntur.

a Ocham. 1. d. 2. q. 3. Gregor. 1. d. 8. q. 2. art. 1. Durand. 1. d. 2. q. 2 Gab. 1. dist. 2. q. 1. & 3.

Duas *(a)* duntaxat distinctiones recipiendas, vnam quidem realem, alteram verò rationis, cùm duplex tantùm ens sit, reale scilicet & rationis. Quamuis enim, vnam eandemque rem, diuersis conceptibus, intelligi apprehendique posse, non negent, hanc tamen differentiam, rectius conceptibus quàm ipsis rebus, tribuendam arbitrantur. Si quid fortè præterea, ab illis requirendum videatur, id explicat Gabriel, hunc fermè in modum.

b Gab. vbi supra, Not. 1.

Primò. *(b)* Rem quamque seipsa, id est, per seipsam, formaliter atque intrinsecè & sibiipsi eandem fieri, & à quocunque alio distinctam: neque ad hoc, quippiam esse necessarium, extrinsecus adscitum, cuiusmodi id omne censendum est, quod neq; res ipsamet, neque aliqua eius pars haberi dicique potest. A quo enim res quæque entitatem accipit, ab illo etiam habet vnitatem, nihil autem

tem

tem per aliud ens est, sed seipso, ex quo efficitur, vt etiam seipso sit vnum, id est, à se indiuisum. Quemadmodum autem quidque seipso vnum est, ita etiam à quouis alio distinctum ac separatum. Sufficit enim, vt discrimen inter aliqua & differentia statuatur, vnum aliud non esse, quicquid præterea ad hoc efficiendum adhibueris, superuacaneum erit.

Secundò (c) Contradictionem regulam esse omnium optimam, qua de distinctionibus iudicetur: adeo, vt de quibuscunque contradicentia efferantur, ea quoque distincta sint. Et vicissim, quæcunque distincta esse deprehendantur, contradicentia etiam in se admittant, videlicet tali ratione distinctum esse, & non esse. Si enim illis inter quæ nihil est omninò discriminis, affirmatio negatioque opposita posset attribui, foret profectò, vt etiam de vna eademque re, (quo nihil absurdius) contradictoria liceret pronunciare, cùm quicquid de aliquo dicatur, dici quoque de omni eo verè possit, à quo ipsum nihil est omninò diuersum. c Gab. vbi antea Not. 2.

Tertiò. (d) Aliquam distinctionum varietatem admittendam esse. Neque enim solum genericæ, specificæ, numericæ reperiuntur, verum etiam aliæ, cum sub numerali, essentialis contineatur, realis, formalis, siue ex natura rei. Genere autem ea distinguuntur, de quibus diuersa genera quorum neutrum alteri, tanquam species subijcitur, in quid prædicantur, vt homo & planta. Specie, quibus diuersæ species vltimæ, in quid attribuuntur, vt homo, leo. Numero, de quibus diuersa indiuidua essentia distincta, enunciantur. d Gab. Not. 3.

Quartò. (e) *Distinctionem numeralem essentialem* eorum dici, quorum vnum aliud non est, neque aliquod idem singulare est vtrumque: vel eorum, quæ de se inuicem verè negantur, ita, vt quodcunque singulare, verè attribuatur vni, negetur omninò de altero, quo pacto Petrus & Ioannes, & generatim res creatæ vniuersæ, distinguuntur; Nam Petrus non est Ioannes: & nihil quod Petrus dici potest, Ioannes est. *Distinctio realis non essentialis*, eorum est, quorum vnum negatur quidem de altero, sed tamen aliquod singulare, & simpliciter vnum, est vtrumque. Sic Personæ, oppositæque relationes in diuinis differunt, Pater enim non est filius, nec Paternitas filiatio, & tamen vna singularis, eaque simplicissima diuina essentia, & Pater est & Filius, Paternitas & Filiatio. *Distinctio deniq;* e Gab. Not. 3.

 forma-

formalis, est eorum, quorum nomina seu voces, ipsa præcisè & singulariter significantes, de sese mutuò verè affirmatèque dicuntur quidem, non tamen continuò, quicquid verè singulariter & affirmatè prædicatur de vno, etiam prædicatur de altero, quin potius singulare aliquod verè de vno affirmatum, verisimè negabitur de altero, sic essentia & relatio, siue essentia & persona distinguuntur, essentia enim est paternitas siue pater: & filiatio vel filius est essentia: & tamen filius non est pater, neque filiatio paternitas est.

f Gab. Not. 4. (*f*) Ex his consequens est, omnem formalem distinctionem, ex ea quæ rerum est, promanare, eamque necessariò supponere.

g Gab. Not. 4. *Quintò*. (*g*) Omnem qualemcunque tandem rerum distinctionem omninò realem esse, vel eam certè poscere. Quæcunque enim eiusmodi sunt, vt de ipsis (vel de ijs, quæ essentialiter eadem cum illis sunt) contradictoria afferantur, reipsa differunt. Sed omnia quocunque tamen modo distincta, sic affecta sunt. Ergo omnia distincta (vel aliquam eis essentialiter eadem) sunt realiter distincta, cùm sola contradictio sit, qua rerum distinctio concludatur.

h Gab. Not. 4. *Sextò*. (*h*) Neque tamen ea, quæ re differre dicuntur, formaliter etiam distincta esse volunt, sed illud ipsum, quod in eandem rem cum vtrisque re distinctis incidit, à quolibet illorum formaliter distingui censent. Ex quo fit, vt hoc distinctionis genus cernere non liceat, nisi quando vna eademque singularis & indiuidua res, pluris est, quarum vna non sit reuera alia. Quod cum in diuinis solum locum habeat, in creaturis minimè, iccircò etiam in diuinis duntaxat formalis distinctio probatur, à creaturis planè summouenda, & quod ipsa non minori difficultate, quàm ipsum sanctisimum Trinitatis mysterium intelligatur, recipienda nunquam est, nisi id vel sacræ scripturæ vel Ecclesiæ cogat autoritas.

DE DISTINCTIONIBVS SCOTISTARVM.

a Ant. Sirecti, de formal. p. 2. initiò. Anton. Tròb. ibidem. Maurit. in Epit. formal. & est cōmunis eorū sententia, ex Anto. de Fantis, in additionibus.

Sed vt apud Nominales, permagna est distinctionum pœnuria & raritas, ita apud (*a*) Scotistas contra, earundem maxima est vbertas & copia. Has itaque numerant. *Primam*, rationis. *Secundam*, ex natura rei, *Tertiam*, formalem. *Quartam*, realem. *Quintam*, essentialem.

tialem. *Sextam,* ſe totis ſubiectiuè. *Septimam,* ſe totis obiectiuè. Quæ vt intelligantur, hæc erunt cum ipſis aduertenda.

DE DISTINCTIONE RATIONIS.

Primò. (b) Diſtinctionem rationis eſſe, cùm per intelligentiam noſtram, vel alio etiam modo, rei alicui, ens rationis quoddam accedit, quo vel ab alijs, quæ tali ente carent, vel etiam à ſe ipſa differat, ſi ſecundùm ſe præcisè ſpectetur. Sic res quæuis cognita, à ſe ipſa ſine tali cognitione conſiderata, diuerſa eſt, ſic prædicatum quoduis, à quouis etiam ſubiecto diſtinctum. Sic innumera penè alia, & à ſeipſis, & ab alijs ſunt differentia.

b vidè Anton. Tromb. in tract. formal. p. 2. art. 1. con. 1. & 2. P. Tartaret. in com. ſuis. in Scotum 1. diſt. 2. q. 7.

Secundò. Regulas ad eam diſtinctionem cognoſcendam has præſcribi poſſe. *Prima. Res quæuis, poſtquam vel intelligendi vel volendi, vel quamcunque etiam aliam cognoſcendi vim, circa eam exercuerimus, à ſeipſa ratione differt. Secunda Si qua duo ſint ita affecta, vt reſpectus aliquis rationis, vni conueniat, alteri verò non item, ratione diſtincta erunt. Tertia. An verò talis reſpectus vni conueniat, alteri non, ſic intelligitur. Si contradicentia de duobus poſſunt enunciari, non tamen ratione alicuius, quod in alterutrius natura contineatur, tum neceſſe erit, vni horum ens rationis aliquod competere, quod alteri non poſſit attribui.* Etenim, ſi de duobus, ne quidem ratione differentibus, contradicentia verè dicerentur, illa etiam de eodem dici poſſe, nihil obſtaret, quod fieri nulla ratione poteſt.

DE DISTINCTIONE, EX NATVRA REI.

Vt hæc diſtinctio innoteſcat, hæc ex ijſdem autoribus addiſcenda.

Primò. Diſtinctionem ex natura rei, (c) bifariam accipi poſſe. Et, vt quid commune eſt, ad omnes eas diſtinctionum formas, quæ præter actionem mentis & intelligentiæ noſtræ, inueniuntur; &, vt ſpecies quædam eſt diſtinctionis, generatim acceptæ. Primo igitur modo ſi vſurpetur, omnis qualiſcunque tandem rerum diſtinctio, ex natura rei, dici poterit, quod genus in omnes ſuas ſpecies

c Ant. Tromb. 2. p. formal. art. 2. circa finem.

cies

cies conueniat, eisque attribuatur. Si autem secundo modo accipiatur, sic species quædam, alijs omnibus opposita est, non amplius commune quid, adeò, vt neque distinctio formalis, neque realis, neque essentialis, quà tales habentur, inter distinctiones ex natura rei, sint numerandæ. Hic potissimum secundo modo accepta, explicatur.

d P. Tartaretus vbi antea. Anton. Tromb. vbi supra.

Secundò. Saltem ex natura rei distingui, quæcunque sunt istiusmodi, vt etiamsi de illis, nulla nobis esset suscepta cogitatio, tamen *(d)* contradicentia in se admitterent; Quod quidem non sic accipiendum, quasi fieri posit, vt contradicentia de duobus verè pronuncientur, absque vlla actione mentis, quæ contradictoria rebus applicet, cùm affirmationem negationemque, quibus omnis contradictio continetur, ab intellectu proficisci necesse sit; sed, quod res ipsa, ex se, sine vlla nostra opera, contradictionis satis idonea fundamenta existant. Sic attributa diuina, ab essentia; res, à suo modo intrinseco; & modi etiam ipsi, inter se, distinguuntur; hoc pacto definitio & definitum se habent; totum item metaphysicum, & partes; superius quoduis, & inferius; eo, quòd definitio definiti respectu, itemque partes, comparatione totius, constituentis rationem quandam obtineant, definitum autem & totum minimè.

e Ant. Tromb. p. 2. formal art. 2. ante declarationem, definitionis modi intrinseci, & circa finem artic.

Tertiò. Ea quæ ita se habent, *(saltem ex natura rei distingui)* quod fieri posit. imò non rarò contingat, vt in *(e)* vno eodemq;, plures distinctionum species occurrant, quas ab eo, sub distinctis tamen rationibus, petere liceat. Si enim v. g. duo aliqua, inter se differant, nihil prohibet, quin illa sint, non solum fundamenta contradictionis, sed etiam plures quidditates seu formalitates, distinctæ res essentiæ & existentiæ, habeantque naturas & essentias diuersas. Ex eo igitur, quod contradictionis fundamenta sint, distinctio ex natura rei, in illis exurgit; formalis verò, quod diuersas quidditates sibi vendicent; & ex eo, quòd sese habeant, vt duæ differentes res, distinctionem realem efficiunt; & tandem, quod plures sint naturæ & essentiæ, essentialem etiam distinctionem admittunt.

f Anto. Sirecti, de formal. ar. 3 princip. p. 1. & Tromb. ibidem & alij.

Quartò *(f)* Hoc differentiæ genus, sic percipi. *Quæcunque vel vt relata, vel vt contraria, vel vt priuantia, vel etiam vt contradicentia, sibi aduersantur, illa ex natura rei distingui.* Agens igitur intellectus & patiens,

hoc

hoc pacto dissident, quod ille moueat, hic verò moueatur. Homo item, & illa dependentia, quam à Deo habet, ex rei natura discrepant, quod illa aliud respiciat, homo formaliter ad se sit; sic item essentia diuina se habet, & relatio, quod essentia pluribus communicari possit, relatio nequeat. Inferius item & superius, huic distinctioni subijciuntur, hoc etenim pluribus se potest impartire, illud non potest.

DE DISTINCTIONE FORMALI.

Vt hanc distinctionem, quæ omnium ferè vsurpata est sermonibus, commodiùs doceant, has voces in primis declarandas sumunt. *Forma, Formalitas, Formaliter.* Harum enim explanatio, viam ad cætera, quæ nō modo de hac distinctionis forma, verum etiam de alijs afferunt, aditum faciliorem parat.

Primò igitur. (g) Formæ nomen, pro forma, vel per se subsistente, vel etiam informante, vsurpari dicunt. Per se subsistens, vel à nullo oritur, & Deus est, qui, purissimus actus, meritò nuncupatur; vel, ab alio fit, & est intelligentia. Informans verò, vel substantialis est, quæ compositi naturalis altera pars existit, vnum per se, cum materia constituens; vel accidentaria, quæ rei extrinseca censetur. Sed præterea, nomen hoc, totam rei naturam, ab eo cuius est natura, separatim consideratam, significare opinantur, quo pacto, humanitas, forma totius nominatur, non qua aliquid informetur, sed qua suppositum quidditatiuè sit homo. Tandem, eam omnem rationem, formæ verbum denotare aiunt, sub qua, ex rei natura, potest vnumquodq; concipi & intelligi. Atq; hæc de prima voce.

g Ant. Sirecti, 2 par. art. 3 & Tromb. ibidem.

Secundò. (h) Formalitatis nomen à forma deducunt, eoque tribus potissimùm acceptionibus vtuntur. *Primo igitur,* liberiori significatione acceptum, significabit omne id, quod in re, ex natura rei, intelligi comprehendíue potest, ab anima; quod quidem necessariò non est tale, vt intelligendi vim, per speciem aliquam sui excitet, (i) satis est enim, si eiusdem possit esse terminus. Dicitur autem in hac descriptione *(ex natura rei)* quod nonnulla à nobis intelligi & percipi queant, non quod ipsa extra animum nostrum existant, sed quod esse suum, ab ipsamet intellectione recipiant;

h Ant. Sirecti, 2. parte, art. 2. Not. 4.

i Ant. Tromb. 2. p. form. ar. 2. in declaratione definitionis formalitatis.

talia figmenta sunt, & entia rationis quæcunque alia. Esse formalitatis, de qua hic est sermo institutus, à nostra mente, hoc pacto non pendere volunt, quemadmodum illa, quorum esse nihil est aliud, qua ea à nobis cognosci.

Tertiò. Vt autem altera illa definitionis pars, *(quod quidem necessariò non est tale &c.)* intelligatur, aduertendum cum Scotistis est, duplicem (k) rationem, in alicuius potentiæ obiecto, sese offerre; vnam quidem mouendi potentiam; alteram verò terminandi, eiusdem potentiæ actum, quod etiam ex Aristotele *(l)* colligi potest, vbi obiectum ad potentiam affectum esse ait, vt id, quod motiuum est, ad mobile, aut, vt terminus ad id, quod potest terminari. Ratio igitur mouendi potentiam, tribuitur obiecto, quà eiusmodi est, vt aliquam speciem sui producat, quâ potentia dum eam recipit, ad agendum excitetur; terminandi verò ratio, obiecto competit, quatenus circa illud, actio potentiæ est occupata, seu in ipsum tendit. Atque ex his duabus rationibus, quamuis posterior, obiecto intrinseca sit, cuius ea natura est, vt circa illud versetur potentia, atque in id, tanquam in terminum feratur; prior tamen, eidem obiecto, extrinseca & accidentaria est, cùm relationes etiam obiecta verissima sint, & tamen, speciem aut similitudinem sui, ad animam non transmittant, cùm ipsæ formam absolutam procreare nequeant, ob minimam suam entitatem. Vt igitur aliquid formalitatis notionem, quocunque modo obtineat, satis est, vt si potentiam mouere per aliquam speciem, quam gignat, non possit; saltem eius actionem, ex natura rei terminet. Atque ea prima est, maximeque communis formalitatis acceptio, omnia ea, quæ extra nihil sunt, comprehendens, etiam modos intrinsecos, & vltimas differentias; quamuis quod ad modos intrinsecos attinet (quos in diuinis numerant *(m)* æternitatem, necessitatem, infinitatem, existentiam: In creaturis actum, potentiam, contingentiam, intensionem, remissionem, & existentiam) non desint etiam ex *(n)* Scotistis, qui ne hac quidem ratione, eos formalitates ex mente præceptoris sui, appellare ausint, quod persuasum habeant, formalitatis nomen, non nisi ijs entibus conuenire, quæ ab intellectu per se concipi possint, eo pacto, vt ex se intelligendi actum terminent, quod modis istis concedi posse negant, cùm eorum ea conditio sit, vt sine ijs, quorum modi sunt, percipi non valeant.

k idem ibidem.

l 3. de ani. t. 54.

m Ant. Sirecti, 2. p. art. 2. & Tromb.

n Tromb. p. 2. tractat. formal. art. 2. in declar. formalitatis.

Quartò.

Quartò. Quicquid tamen ea de re ſit, ſi ad eum modum, quo explicauimus, ſumatur formalitas, eam, & *(o)* realitatem & quidditatem, ſub ſe comprehendere cenſent, quod ſic exponunt. *(p) Duplex realitas eſt*; quædã eſſentiæ, quędã verò exiſtentiæ. Prior ideò obiectiua quandoq; appellatur, quod obijci cognitioni poſsit, eamq́ue terminare; iccircò, pro vt res quæq́ue hoc habuerit, ſic etiam realitas obiectiua dicetur; ideò, ſi per ſe obiectum notitiæ noſtræ ſit, non ſolum autem per accidens, vel cũ alio apta percipi, (quemadmodũ modi rerum intrinſeci) realitas obiectiua per ſe, exiſtimabitur. Poſterior verò, Subiectiua ideò nuncupata eſt, quod quidditati & naturæ ſubijciatur, &, cùm ſingulare, qua ratione tale eſt, ſubiectum ſit quidditatis, propterea res vel realitas, ſubiectiua nominatur. Ex quo efficitur, vt quod antea dictum eſt, formalitas, priori modo ſignificata, cùm in omne id conueniat, quod ſit ex natura rei, ſiue per ſe percipi, ſiue cum alio poſsit, latiùs quàm realitas pateat, quandoquidem hæc, ijs ſolùm attribuantur, quæ concipi atq́ue intelligi per ſe, ſine alio apta ſunt, multò verò pluribus congruat formalitas. Hinc facilè quoq́ue colligi putant, formalitatem ſic acceptam, quidditate etiam ſuperiorem habendã, quod intrinſeci modi, formalitates quædam ſint, hoc pacto, neq́ue tamen quidditates. *(q) Quidditas enim eſt id*, quod vel de aliquo quidditatiuè dicitur, vel certè eſt tale, vt de ipſo aliquid quidditatiuè prædicetur, neutrum autem horum modis intrinſecis aiunt conuenire, vt ex ijs, quæ ſequuntur, erit manifeſtum. Hæc de formalitate primo modo accepta.

Quintò. Formalitatis verbum, propriè accipi notant, quando pro omni eo illud vſurpamus, quod eſt quidditatiuè ens, vel aliquid etiam entis, ſi tamen non ſit modus intrinſecus. *(s) Quidditatiuè autem illud ens cenſendum eſſe dicunt*, in cuius formali ratione, entis ratio continetur, cùm quidditatiuè prædicari, non ſit, vt adiacens & denominans quid, ſed inſtar eſſentiæ (quibus hoc conueniat, paulò poſt explicabitur) de aliquo enunciari, hoc pacto, vt prædicati ratio, in ſubiecti conceptu includatur, quemadmodum animal de homine dicitur. *Denominatiuè verò illud ens eſſe arbitrantur*, quod quamuis ens, tanquam adiacens aliquid, & denominans, in ſe complectatur, non tamen illud in ſui conceptu & notione poſtulat, ſed quemadmodum rationale continet animal; hoc enim,

o Anto. Sirecti p. 2. art. 2. Not 4.

p Ant. Tromb. p. 2. tract. formal. art. 2.

q idem, ibidem.

s Ant. Tromb. vbi antea.

licet per modum adiacentis & denominantis, de rationali affirmetur, eius tamen definitionem non ingreditur, quod genus, vt Aristoteles (t) docet, extra rationem differentiæ sit. Cùm ergò ens, de modis intrinsecis, quibus ad inferiora sibi subiecta, proximè restringitur, & contrahitur, dici quidditatiuè nequeat, (vel ea de causa, quod quemadmodum de ratione generis, non sit differentia, sic nec de eius, quod contrahitur & limitatur natura, id quod contrahit & limitat) fit, vt formalitatis nomen, si hac secunda acceptione sumatur, modi illi tueri non possint. Idem iudicium de passionibus entis esset (quod vt (u) Aristoteles scriptum reliquit, subiectum, vt additamentum quoddam, passiones suas definiat, quod autem eiusmodi est, quidditatiuè de re definita, non prædicatur) nisi saltem realitates obiectiuæ dici possent, qua de causa, adhuc formalitates hoc secundo modo nuncupantur. Eadem ratione vltimæ differentiæ (cùm in nullo prorsus conueniant, quod quidditatiuè de ipsis dici posit, cùm sint primò diuersæ) ab hac formalitatis significatione, excluderentur; nisi illis hoc patrocinaretur, quod saltem aliquid sit entis; nam etiam ad id significandum, formalitatis nomen, hoc secundo modo acceptum, potest adhiberi, modis autem intrinsecis, tribui prorsus (x) nequit. Atq; hoc pacto, formalitas, cum realitate obiectiua (y) reciprocatur, sic, vt quicquid formalitas sit, realitas etiam obiectiua censeatur, quamuis non contra. Continet tamen adhuc sub se quidditatem. Igitur, quando breuiter summatimque rem vniuersam exponunt, formalitatem de qua sermo est, cùm de distinctione formali disputatur, quamcunque (z) notionem rationémue esse volunt, sub qua, ex rei natura, intelligi aliquid & comprehendi posit. Quod si inferas, etiam modos intrinsecos, in hac notione contineri, qui tamen paulò superiùs, ab hac formalitatis acceptione, fuerant reiecti, respondent (a) glossographi, hoc esse considerandum.

Sextò. (b) Tandem, quam maximè sumi propriè hoc verbum autumant, cum ijs accommodatur, quæ vel de aliquibus quidditatiuè enunciantur, vel certè sunt talia, vt de ipsis aliquid quidditatiuè prædicetur. Atque hoc pacto, longè minùs se extendit formalitas, quàm realitas obiectiua; conuertitur tamen cum quidditate. Et quamuis differentias indiuiduantes, primo vel secundo modo, formalitates appellare liceat, hoc tamen tertio, minimè id permit-

t 3 metaphys. t. 10.

u 7. metaphys. t. 17.

x Ant. Sirecti, vbi supra.

y idem ibidem.

z Ant. Sirecti, p. 2. art. 3. Not. 1.

a Ant. de Fantis loco citato.

b Anto. Sirecti, vbi antè. Not. 4.

permittitur. (c) Cùm autem multis rationibus, aliquid *quidditatiuè* enunciari seu prædicari de alio possit, tum id præcisè hoc in loco, quod in quid, id est, per modum essentiæ, atque per se stantis dicitur. Quod vt percipiatur, aduertendum est; magno inter se discrimine, hæc esse separata, iuxta Scotistas, ad quidditatem *constitutiuè*, & ad eandem *prædicatiuè* aliquid pertinere, cùm fieri posit, vt priore modo ad quidditatem attineat aliquid, quod tamen ad eandem posteriore illo nihil spectet. Specifica enim differentia, quidditatem constituit illa quidem, tamen vt quidditatiuè prædicetur, haud est idonea, cùm hoc illorum sit solum proprium, quæ non quemadmodum adiacens quid, & denominans, sed instar essentiæ, aut per se stantis, seu subsistentis, apta sunt prædicari, quod à specificis differentijs, valde est alienum, cùm similiter de alijs dicantur, vt si formæ informantes & denominans quid essent, non verò per se subsistens quippiam. Ex quo etiam fit, vt quia actus essentialis rei, vt (d) Aristoteles notauit, qualitas quædam nuncupatur, differentia quoque (quæ talis est actus) in quali prædicetur. Ideoque, licet quidditatem constituat, per modum tamen quidditatis, de alio non pronunciatur. Ex quibus perspicuum etiam est, aliud *rationem quidditatiuam* tantum esse; aliud *quidditatiuam & formalem* simul. Illa enim est, quæ vel de aliquo in quid dicitur, vel in quo aliquid quidditatiuè includitur, hoc pacto, vt non simul etiam aliquid contineat, quod prædicetur in quali. Sic conceptus entis quidditatiuus est, quod nullam rationem in se complectatur, quæ qualitatem indicet. Ratio autem quidditatiua & formalis simul, ex conceptu, qui prædicetur in quid, & alio, qui dicatur in quali, componitur, idcircò tantum speciei ratio est, siue subalterna sit ea, siue infima. In promptu igitur est, quid sit quidditatiuè prædicari de alio, vel alterius in se quidditatiuam prædicationem suscipere; quid item tertio modo sumpta formalitas, quæ antequam perciperemus, omnibus istis mysterijs eramus initiandi.

c idem ibidem. & Ant. Tromb. tract. Formal. p. 2. art. 2.

d 5. metaphys. t. 19.

Septimò. Ea vox nunc explicanda est, ex (e) Scotistis, quam tertio loco proposueramus, nempe *formaliter*, quæ & ipsa variè vsurpatur, his tamen præcipuè modis. Quandoque illud aliquid formaliter esse dicitur, quod est per formam sibi essentialem. Nonnunquam id, quod est per formam accidentariam; interdum id,

e Anto. Sirect. 2. p. ar. 3. Not. 2. Alexan. Achillinus de distin. cap. 22.

 quod

quod est per formam intentionalem. Primo modo, homo per suam formam, formaliter rationalis & viuens est; secundo vero, per albedinem formaliter albus; tertio, formaliter vel videns vel intelligens per species. Quæ omnia ex prædicationum formalium distinctione & varietate, quæ à Scotistis adfertur, meliùs percipientur.

f idem Anton. ibidem. Not 3. & deinceps. & Ant. Tromb.

Octauò. Igitur, (f) *duo prædicationum formalium genera* referunt. Primum est quidditatiuum, ad quod ea pertinent, quæ primo modo per se prædicantur, cuiusmodi sunt; primò, superiora eorum respectu, quæ illis per se subijciuntur. Sic ens de Deo, & creatura prædicatur, genus de specie; hæc de indiuiduo. Secundò, ea, quæ cùm prædicentur in quale, sunt tamen ei cui attribuuntur intrinseca. Sic differentia, de definito dicitur. Tertiò, quæ perfectam & intimam rationem eius, de quo asseruntur continent. Sic definitio, definiti respectu, affecta est. Quartò tandem, hoc modo, etiam idem de seipso, enunciatur.

g ijdē ibidem.

Nonò. Secundum *(g)* genus prædicationum, ex ijs constare asserunt, quæ quidem formales sunt, sed tamen denominatiuæ. Atque ad hanc prædicationis formam, reuocatur; primò, differentiæ affirmatio, de eo genere, quo cum, ipsa certam speciem constituere idonea est. Sic se rationale habet, ad animal. Secundò, propriæ passionis, de suo subiecto prædicatio, qui *(h)* Aristot: secundus modus est, dicendi per se Tertiò, ea enunciatio, qua effectus formalis, denominatiuè de aliquo dicitur, sic tamen, vt ipsamet causa formalis, interueniat; vel etiam illud pronunciatum, in quo effectus cum ea causa coniungitur, à qua proximè est ortus. Atque is, quartus est modus per se, eorum, quos *(i)* Aristoteles numerauit. Sic hominem iugulatum interijsse dicimus, & cygnum per albedinem album esse. Quartò denique, huc ea pertinent, quæ tanquam accidens, de suo subiecto affirmantur, quod quidem tot modis potest euenire, quot accidentium genera numerantur à philosophis. Atqui cum multis varijsq; modis, formaliter quippiam dicatur de alio, maximè tamen id, quod prioribus tribus modis, quos superiore propositione posui.

h 1. post. c. 4.

i ibidem.

k Petrus Tartar. 1. dist. 2. q. 7.

Decimò. Nunc igitur, eadem (k) *formaliter sunt, quorum vnum aliud in sua*

sua ratione formali (siue quidditatiua ea sit solum, siue quidditatiua & formalis simul &c.) & in primo modo per se, includit. Hoc enim ex Scoto primo sent: *(l)* colligi contendunt, quo in loco sic ait, voco autem identitatem formalem, vbi illud quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem, in sua ratione formali, & primo modo per se; quæ quidem verba, quamuis quidam *(m)* Scotistæ, sic explicent, vt præceptoris mentem esse velint, inferius, formaliter idem esse superiori; alij tamen, hanc dementiam, (sic enim eam *(n)* appellant) magistro tribui, indignissimè ferunt, neque hi sine causa commoti videntur, cùm inferius superiori planè accidat, proindeque de ipsius essentia minimè sit, cùm tamen ex Doctoris *(o)* subtilis sententia, quicquid idem alicui formaliter est, de ipsius essentia sit, necesse est.

Anton. Tromb. Anton. Sirect. loco citato.
l dist. 2. q. 4.
m Ant. Sirecti, loco citato.
n Ant. Tromb. 2. p. tract. formal. art. 3. in declarat. vnitatis.
o 4. dist. 12. q. 1. & 7. metap. q. 1.

Vndecimò. Sed tamen, vt exponatur, quonam pacto inferius superiori idem formaliter sit, quod Scotus ijs verbis *(vbi illud quod dicitur sic idem)* apertius asserit, quàm vt negari à quoquam possit, duplicem identitatem formalem eius discipuli *(p)* sunt scrutati. *Mutuam vnam, non mutuam alteram.* Prior inter illa versatur, quorum vnum hac ratione idem formaliter est alteri, vt ipsum vicissim, sit idem formaliter illi. Sic homo, & animal rationale, formaliter eadem sunt; vt enim animal rationale, idem est formaliter cum homine, ita & homo, idem cum animali rationali. Atque horum quodque, alteri, per identitatem propriam, sibi formaliter inhærentem, idem est. Posterior autem identitas, inter illa spectatur, quorum vnum, iccircò idem formaliter est alteri, quia alterum est idem formaliter ipsi, ad eum fermè modum, quo Aristoteles 5. *(q)* metaphys. ait, quædam esse ad aliquid, quod alia sint ad ipsa, id est, non quod ipsa in se, relationem aliquam habeant, sed relationem aliorum ad se terminent; vnde etiam ipsa, quodammodo terminatiuè referri dici possunt. Simili igitur ratione, aliquid est idem formaliter alicui, tantum terminatiuè: & aliquid est idem formaliter alicui, identitate formali, sibi formaliter inhærente. Primo igitur modo, inferius idem formaliter cum superiori; secundo, superius idem esse cum inferiori censendum est: superius enim inferioris essentiam constituit, cùm tamen hoc, ad ipsius essentiam & naturam nihil pertineat. Quod igitur ex allata Scoti definitione, colligere

p Pet. Tartaret. 1. dist. 2. q. 7. Anton. Tromb. vbi antea.
q t. 20. c. 15.

licebit,

licebit, hoc duntaxat erit. Id quod aliud in sua definitione, primoque modo per se includit, formaliter quidem cum illo idem esse, non mutuò tamen, sed tantummodo terminatiuè. Quid autem impedit, quo minus id, quod hoc modo solum idem alteri est formaliter, adhuc tamen ab illo formaliter sit distinctum, quod idem identitate formali, & sibi inhærente dicitur? Atque ex his perspicuum est, differentias essentiales, quæcunque prædicata quidditatiua & superiora, eadem formaliter esse cum ijs, quæ per illa constituuntur non tamen vicissim.

r Petrus Tartar. loco citato. Anton. Sirecti concl. 2.

Duodecimo. Ex his, quænam formaliter distinguuntur, colligi volunt. *Quæcunq; enim diuersas formalitates* (r) *habent, quarum vna in alia, & per se primo modo, non includatur, illa formaliter distincta erunt, sin secus contingat minimè.* Sic igitur subiectum propriaq; passio distinguentur; eaque vniuersa, quæ sub diuersis membris diuidentibus, alicuius prædicati communis, comprehenduntur, quin etiam illa ipsa membra, in quæ aliquid immediatè distribuitur; superiora tamen, ab ijs in quorum formali definitione sunt inclusa, formaliter distincta esse, non dicentur.

t idem art. 3. princip. p. 1. & Tromb. ibidem & alij.

Decimo tertiò. (t) Datis extremis positiuis, hanc distinctionem, inquirendam docent, hoc pacto. I. *Quorumcunq; vnum non est, de conceptu quidditatiuo alterius, illa formaliter diuersa sunt.* II. *Quæcunque sic habent, distinctas definitiones, vt earum vna, in alia non comprehendatur, formaliter etiam distincta erunt.* Nec verò sine causa adiungitur, (vt non vna, comprehendatur in alia) certum est enim, inquiunt, hominem & animal, formaliter idem esse (quamuis non adæquatè & mutuò) cùm tamen distinctis definitionibus explicentur, sed id propterea accidit, quod earum vna, in alia comprehendatur, animalis enim definitio, in hominis quoque definitione continetur. Ex quo efficitur, illa, ex hac præceptione, distincta formaliter iudicanda, quorum definitiones, sic sunt à se inuicem discrepantes, vt vna alteri nec secundum partem, nec secundum se totam, seu adæquatè conueniat. III. *Quorumcunq; descriptiones diuersæ sunt, & illa sunt diuersa formaliter.* Per descriptionem autem intelligunt, rei, per genus, & affectionem aliquam propriam, explicationem. Quorum enim proprietates diuersæ & oppositæ sunt, illorum necesse est, & diuersas formales esse rationes, cùm ex his, illæ promanent. IV. *Si quæ sint, de quorum vno, demonstrari aliquid poterit, quod non item de altero,*

altero, formaliter distincta erunt. Etenim, cùm passiones effectus quidam sint, subiecti, in eoque causam habeant internam, quæ itidem subiecti sit essentialis forma, si affectiones illæ, disparatæ fuerint & repugnantes, & rationes formales subiectorum, non erunt eædem, non quidem, quasi affectus istos, ex eiusmodi subiectis natos, in eodem esse repugnet, sed, quod ex ijsdem subiectorum formis, non oriantur, nec posit id, quod vnius principium asseritur, etiam alterius causa & origo nuncupari. V. *Si quippiam alicui cum aliqua voce reduplicante, qualis est hæc, quatenus, vel qua ratione, qua &c. attribuatur, quod alteri attribui nequeat, tum formaliter illa etiam distincta putanda sunt.* Itaque, cùm animal quà animal, sentiat, lapis non, formaliter different; quorum omnium fundamentum, ex Scotistis, est, hæc in animo nostro, diuersas notiones postulare; at, nisi in rebus ipsis, distinctionem & varietatem aliquam haberent, intellectionum etiam & conceptionum, nullam requirerent diuersitatem; non enim potentia producit obiectum, sed illud, tanquam mensuram quandam, consequitur.

DE DISTINCTIONE REALI.

De hac distinctione, ex Scotistis, hæc sunt notanda. *Primò*, quemadmodú formalitas, à forma deriuatur; ita realitas, à re. Res, quod attinet ad hanc tractationem, *(u)* triplex est; vna, essentiæ; quæ nihil est aliud, quàm ipsamet cuiusque rei, absolutè considerata quidditas, ac natura. Secunda, existentiæ; qualem in omni categoria, inuenias. Tertia, subsistentiæ; quæ prædicamenti substantiæ limites, non egreditur. Nobis in præsenti, de re secundo & tertio modo spectata, sermo est; cùm ex diuersitate quidditatum, ac naturarú precisè, distinctio realis non rectè colligatur, vt ex ijs quæ dicentur, manifestum fiet, quemadmodum nec ex vnitate identitateue essentiæ ac naturæ, realis identitas, quocunque modo, concluditur; cùm in diuinis realis distinctio sit, & tamen vna eademq; res essentiæ.

Secundò. Vnam *(x)* igitur eandemque rem, illa efficiunt, quæcunque tantam inter se connexionem habent, vt nulla vi, nullaque potestate, ne quidem diuina, ab inuicem separari ac diuelli posint.

u Anto. Sirect. 2. parte, art. 4. Not. 2.

x idem ibidem. conc. 1. & Ant. Trombet. 2. p. art. 4. conc. 1. Petr Tartaretus vbi antea.

In quo tamen inprimis considerandum venit, an tanta illa separationis difficultas ac repugnantia, ex ipsismet rerum naturis, an verò potiùs ab aliquo externo oriatur; hoc enim si fiat, nihil quandoque obstabit, quo minus aliqua sciungi nequeant, quæ tamen res vna eademque non sint, imò aliquando diuersissimæ; ideò nimirum, quia tantam coniunctionem, suâ naturâ, ipsa non postulant, quamuis ob aliam causam, dirimi non possint; ex quo fit, vt licet cœlum eiusque motus, (quæ tamen res sunt distinctæ) si Aristotelem audiamus, non possint dissociari, ea tamen natura cœli non est, sed ideò id euenit, quod angelus ocij & quietis impatiens, ab eius motu, nunquam cessare valeat. Deinde verò attendendum, num fortè vnum ab alio, necessariò dependeat, hinc enim efficitur, vt quamuis compositum res sit, à partibus diuersa, ab ijs tamen, distrahi se, non patiatur, eò, quod ex partibus, necessariò constet. Si item aliqua in diuersis subiectis, re distinctis, existant; nihil quoque prohibebit, quo minus & ipsa, re distinguantur, & tamen nonnunquam, vnum sine alio, esse non possit, vt duabus relationibus, quarum vna in patre est, alia, in filio, manifestè cernitur. In eodem igitur subiecto sint, necesse est, illa, ex quorum indissolubili societate, realis identitas, concludenda est.

y ijdē ibidem.

Ex (y) his consequitur. *Primò*. Omnia attributa diuina, eadem esse realiter, & inter se, & cum essentia, & cum personis, & has cum diuina essentia. *Secundò*. Omnes differentias essentiales, modosque intrinsecos, in eodem supposito, eandem rem constituere. Nec superiùs ab inferiori, secundùm rem distingui. *Tertiò*, illa quæ sunt in potentia obiectiua, nec distingui, nec eadem realiter esse. Ad identitatem etenim, & distinctionem realem, vtrumque extremorum, verè in rerū natura reperiri necessariū est; vnde quidditates, quod supra monui, nec realiter distinctæ sunt, nec realiter eædem, cùm ex se, nullā realitatē, nec existentiæ nec subsistentiæ, poscant.

z Ant. Sirecti, vbi sup. conc. 2. & Tromb. ibidē Petrus Tartaret. vbi antea.

a Anto. Sirecti coroll. 2.

Quartò, quod notandum erat, est; distinctionem realem, ex his, facilè colligi. (z) Etenim, ea diuersæ res æstimabuntur, quæcunque sic sese habebunt, vt, vel vnum sine alio esse possit; vel, vnum producatur ab altero; vel tandem, sint in pluribus subiectis, re distinctis. Hinc, & totum essentiale & partes, & res (a) diuersorum generum, actu existentes, itemque indiuidua, tam eiusdem speciei, quam diuersarum eiusdem Categoriæ, actu cohærentia in mundo;

mundo; materia etiam & forma, tres personæ diuinæ, omnia inquam hæc, re distinguuntur. Neque in diuinis personis, quicquam impedit, vnam sine alia esse non posse, hoc etenim, non nisi ex vnitate essentiæ proficiscitur.

Quintò. Distinctionem realem, sic cognoscendam. (*b*) *Quod alterius est origo, re ab illo diuersum est*. Secundò, *si quæ sint, quorum vnum generatur, altero non generato, re distinguentur*. Tertiò, *ea quorum vnum permanet, altero sublato, res distincta erunt*. Quartò, *quod potest separatim ab aliquo existere, vel subsistere, re etiam ab illo differens erit*. *b* Ant. Sirecti, art. 3. princ. p. 1. Tromb. ibidem

DE DISTINCTIONE ESSENTIALI.

Vt meliùs hic progrediamur. *Primò*, duplex dependentia seu ordo, cum Scotistis, est tenendus. (*c*) Vnus essentialis simpliciter; alter secundùm quid. Prior, inter illa dicitur esse, quorum alterũ, ea ratione, ab altero pendet, vt secus fieri prorsus nō posit. Posterior, in illis reperitur, quę quamuis vt à se inuicem nō pendeant, naturæ viribus effici nequeat, diuina tamē virtute id potest. Prioris modi, est creaturæ, Dei respectu, itemque compositi, à suis partibus, dependentia; secundi verò, accidentis, saltem cuiusdam, à subiecto. *c* Anto. Sirecti p. 2. art. 5. Not. 1. Tromb. ibidem

Secundò. Vt autem duplex est, ordinis, siue dependentiæ essentialis, vsurpatio, apud eosdem autores; sic & identitatis essentialis. (*d*) Vno enim modo, pro ea identitate accipitur, qua aliqua vni eidemq; singulari essentiæ, eadē esse intelliguntur, atq; hoc pacto, inter identitatem essentialē ac realem, nihil est discriminis, nisi in diuinis. Quãuis enim tres diuinæ personæ, vna eademq; res sint, cùm ipsa diuina, eaq; simplicissima & indiuidua essentia, ac proinde essentialiter eædem, nō tamen realiter, rectè eædē appellarentur. In rebus tamē creatis, illa duo, ita sunt cōnexa, vt quæcunq; eadē sint essentialiter, etiã in vnã eandemq; rem incidant; Altero modo, essentialis identitas, pro ea sumitur, qua illa eadē essentialiter esse dicũtur, quæ rē intrinsecè cōstituunt, vt materia & forma se habent. *d* idē ibidem. Not. 2.

Tertiò, igitur, illa vniuersa, essentialiter (*e*) eadē nominant, quæ vni eidemq; essētiæ singulari, eadē sunt. Vel etiã ea, quæ ad essentiã alicuius intrinsecè pertinent. (*f*) Quæcunq; verò diuersas naturas, siue essentias realiter distinctas habent, vel, quæ non concurrunt, ad intrinsecã alicuius rationem, essentialiter distingui opinantur. *e* idem ibidem. concl. 2. Tarta. vbi supra. *f* idem ibidem. conc. 2. Tart. vbi antea.

Quartò. Distinctionem hanc sic cognosci posse censent. Primò, (*g*) *quæ vel diuersis generationibus generantur*: Secundò, *vel diuersis corruptio-* *g* Ant. Sir art. 3. princip. p. 1. Tromb. ibidem

ruptionibus corrumpuntur. Tertiò, *vel ab inuicem separantur, essentialiter sunt distincta.* Quartò, *item ea, quorum vnum dependet ab altero.* Quamuis eorum (*b*) aliqui, ex sola separatione mutua, de essentialiter distinctis, iudicent.

b Steph. Burl in Epit. formal. p. 1. Mauriti⁹ in Epi. formal.

DE DISTINCTIONE, QVA tota subiectiuè distinguuntur.

Primò. Ad hanc distinctionem percipiendam, meminisse oportet, quòd antea monuimus, cùm de distinctione formali egimus, duplicem realitatem esse, vnam obiectiuam, alteram subiectiuam; neque prætereundum est, cuilibet conceptui communi, eidemq; reali, duplicem correspondere (*i*) realitatem, vnam quidem in se, aliam verò in suis singularibus; harum prima, neque existentiam, neque eorum quicquam, quæ hanc connotant, requirit. Secunda, & existentiam in actu, & vniuersa, quæ ipsam concomitantur, postulat, vt supposita seu indiuidua.

i Ant. Sir. p. 2. art. 6. Anton. Tromb. ibidem.

Secundò Non ignorandum etiam, harum realitatum, quæ obiectiuæ nuncupantur, à Scotistis, quasdam aptas esse, vt cùm ipsæ alioquin, ad quamplurima sese extendunt, per aliam nonnihil contrahantur; quasdam veró tales non esse. Ad priores, genera omnia, siue ea generalissima sint, siue subalterna, imò etiam species infimæ pertinent, cùm eius sint conditionis, vt per alias quasdam, à se, quadam ratione distinctas realitates, restringi aliquantum se patiantur; genera quidem, per differentias communiores; species, per indiuiduas, vt Scoto, 2. sent. & alibi sæpius placet. Ad secundi generis realitates, omnia transcendentia, communia Deo & creaturis referuntur, quod non vti cætera, contractiones vllas, & determinationes, per realitates nouas admittant, sed præcisè, per intrinsecos quosdam modos, restringantur, quibus distinctam realitatem, ab ea, cuius sunt modi, concedendam pernegant.

Tertiò. His igitur hunc in modum præmissis, duplex se offert, explicandæ distinctionis subiectiuæ ratio; neq; enim eam omnes similiter defendunt. Aliqui igitur, illa eadem subiectiuè esse censent, quæ quidditatiuè in aliqua realitate conueniunt, quæ sit idonea,

nea, vt per realitatem distinctam, alicuius differentiæ, determinetur ac contrahatur; illa verò contra, se totis subiectiuè iudicant distingui, quæ hanc legem non subeunt. Ex quo hæc consequuntur. *Primò*. Quæcunque idem genus quidditatiuè continent, illa se totis subiectiuè eadem esse. *Secundò*. Omnes Categorias, itemq; DEVM & Creaturas, se totis subiectiuè distingui, quàmuis enim illa omnia in ente conueniant, non tamen illud est tale, vt per nouam realitatem, posit ad inferiora illa, sibiq́ue subiecta, restringi. *Tertiò*, Personas diuinas, se totis subiectiuè diuersas esse; &, quod nec in vllo sint genere; &, quod realitas omnis eis aduersetur, quæ sit in potentia, ad aliam per quam limitetur, & contrahatur, cùm tales personæ, sint saltem identicè infinitæ, eius essentiæ ratione, quam intimè includunt.

Quartò Alij rem ita expediunt. Illa dicuntur eadem subiectiuè, quorum realitates, in eodem se ferunt, vel per modum identitatis, hoc pacto, vt vna res cum illo efficiantur; vel per modum informantis, vel apti etiam vt informetur. Illa se totis subiectiuè distinguuntur, quorum realitates, in eodem numero, aliquo prædictorum modorum, se simul non tolerant. Atque ex hoc explicandi modo sequitur. *Primò*, hoc Corollarium. Omnia quæ in diuinis sunt, eadem subiectiuè esse. *Secundò*, vniuersa, quæ in indiuiduo reperiuntur; eadem subiectiuè dicenda. *Tertiò*, Duo indiuidua, eiusdem speciei, maximè de prædicamento substantiæ, & alterius etiam speciei completæ, eiusdemet substantiæ prædicamenti, se totis subiectiuè distingui. *Quartò*, duo contraria, præsertim in gradibus intensis; duo item relatiuè opposita, maximè de secundo relatiuorum genere, similiter differentias essentialiter diuidentes ipsum genus, se totis subiectiuè diuersa esse. Regula autem huius distinctionis est. *Quæ actu secundum esse, vel existentiæ, vel subsistentiæ, separantur; se totis subiectiuè distinguuntur.*

DE DISTINCTIONE, QVA tota obiectiuè distinguuntur.

Restat, vt, quid Scotistæ, de vltimæ distinctionis suæ forma commententur, audiamus. (k) Illa igitur eadem obiectiuè existimanda sunt, de quibus prædicatum aliquod, siue illud intra

k Ant. Sirecti, p. 2. art. 7. Tröb. ibidem.

certum aliquod genus ſit comprehenſum, ſiue omnia tranſcendat, quidditatiuè enunciari poſsit; quorum verò oppoſita erit ratio, illa obiectiuè etiam diſtincta erunt. Ex quo infertur. *Primò.* Deum & creaturas, decem ſumma rerũ genera, eò, quod ijs communis quædam notio, eaque realis entis correſpondeat, quæ quidditatiuè de ipſis prædicetur, ſe totis obiectiuè eadem eſſe. *Secundò,* paſsiones entis, & ab ipſo ente, & à ſe inuicem, ſe totis obiectiuè differre, quod ijs planè aduerſetur, quippiam quidditatiuè de ſe enunciari. *Tertiò,* differentias vltimas, & ad ſummam, illa omnia, quæ primò diuerſa ſunt, ſe totis obiectiuè diſtingui, quod nihil de ipſis, quidditatiuè enunciari poſsit, vel hoc ipſo, quod ſint primò diuerſa. Regula. *Quæ in nullo quidditatiuè conueniunt, ſe totis obiectiuè diſtincta ſunt.*

DE DISTINCTIONIBVS THOMISTARVM.

In hac tanta Scotiſticarum diſtinctionum multitudine, paucitatem, rerum naturis conuenientiorem, Thomiſtæ adamarunt; quamuis nec ipſi vſqueadeò conueniant, dum alij binario, omnes diſtinctiones comprehendunt; Alij ternario, qui rationis diſtinctionem, in duo membra diuidunt; Alij quaternario, qui & diſtinctionis realis, & rationis, duas ſpecies tandem fatentur. Inter primos eſt Soto, *(a)* qui contendit, ante natum Scotum, & apud S. Thomam; & omnes omnium temporum philoſophos, duarum tantum diſtinctionum fuiſſe mentionem; rationis, & realis; additque, animalitatem & rationalitatem, diſtingui ratione, quemadmodum Petrus à Petro, quatenus vt idem ſibi intelligitur, id eſt, quantum colligere licet, ratione ratiocinante. Et diſtinctionem *(b)* propriæ paſsionis à ſubiecto, non formalem, vt Scotiſtæ, ſed realem appellat, additque, difficilè admodum captu eſſe, aliqua ex rei natura, non tamen realiter diſtingui, miraturque, ante Scotum, illam formalem diſtinctionem, nullum philoſophum, aduertere potuiſſe. Inter ſecundos, eſt *(c)* Capreolus & *(d)* Caietanus. Ad tertios, Dom. *(e)* Bannes accedit, qui, quid hac in re ſentiat, & doctè, & perſpicuè, & ſatis breuiter explicat, hunc in modum.

a q. 3. de vniuerſ. art. 2.

b cap. de prop. q. 2. conc. 2.

c 1. d. 8. q. 4. concluſ. 2. & 4. præcipuè ad 16. primo loco poſitũ.

d de ente & eſſent. q. 12.

e 1. p. q. 28. art. 2. dub. 3.

Primò.

Primò. Multiplicem esse distinctionem ait. Realem nempe, rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Realem illam appellat, quæ est inter rem & rem. Rationis ratiocinantis, eam, quæ nascitur ab intellectu. Rationis ratiocinatæ verò, illam vocat, quæ actualiter fit, per intellectus actionem, qui vnam eandemque rem, diuersis conceptionibus, formaliter reale quippiam significantibus, apprehendit, ita, vt fundamentum huiusmodi distinctionis cōceptuum, sit in re ipsa proximum. Atque hoc pacto; homo, animal, viuens, & rationale, distinguuntur.

Secundò. His formalem adiungit, quam inter ea dicit inueniri, quæ materialiter quidem idem sunt, sed tamen definitiones habent diuersas, qua ratione, actio & passio distinguuntur, cùm vnus sint, idemq; motus.

Tertiò. Distinctionem rationis ratiocinatæ, diuidi posse vult, in distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ fundamentum habet in re, metaphysicè composita, ex esse & essentia, vel ex genere & differentia; & in distinctionem, quæ habet fundamentum in re simplicissima, neq; amplius ex esse, & essentia composita, vt est Deus opt. max. atque hanc distinctionem, ait, Caietanum formalem nó formaliter, sed eminenter & virtualiter, appellare consueuisse.

Quartò. Si quis autem eum percontetur, sitne ante omnem creatæ mentis actionem, inter diuina attributa, solùm virtute, &, vt in fundamento, an verò actu etiam, rationis distinctio concedenda? Respondet; esse *(f)* quosdam, qui eam inter illa, sufficienter dimanare arbitrentur, ex eo, quod Deus, essentiam suam, vt sufficiens & idoneum fundamentum, diuersorum conceptuum, qui in creato intellectu esse posśint, ab æterno cognoscat; quam sententiam, & probabilem esse ait, & Caietano non displicere; velle tamen Capreolum, actualem rationis distinctionem, diuinis attributis, non competere, nisi actu diuersorum intellectus creati conceptuum, sint termini; eamque opinionem, alijs magis arridere dicit, eò, quod non sufficiat, ad hoc, vt aliqua actu distinguantur ratione, ea, tanquam fundamenta, diuersarum notionum concipi, cùm talis cognitio, actu duo extrema, non constituat, sed solum vnũ idemq; consideret, tanquã aptum, quod duorũ extremorum rationem, in mente creata obtineat. Ergo, inquit, vt diuina attributa, actu distinguantur ratione, necesse est, vt diuersos conceptus terminent, quod diuini intellectus respectu, esse nó potest.

f Petrus de Palude, apud Capreol. 1. dist. 8. q. 4. in respons. ad 6. Scoti, contra 1. pag. 238. col. 2. in fine. impress. Vent. 1589.

DISPVTATIONIS, DE DISTINCTIONIBVS PHILOSOPHORVM, PARS ALTERA.



RESTAT nunc, vt quot distinctiones, & quænam admittendæ sint, & quo pacto, doceatur; atque ex ijs, quæ hactenus sunt dicta, seligantur ea, quæ ad rem nostram faciunt, cæteris, quantum necesse est, & instituti huius ratio permittit, refutatis.

DE DISTINCTIONVM NVMERO.

Vniuersas igitur distinctionum formas, ad quatuor omninò reducimus, quarum *primam*, simpliciter rationis appellamus; *alteram*, rationis ratiocinatæ; *tertiam*, realem; *quartam deniq;*, formalem. Quid enim necesse est, pluribus distinctionibus, ea omnia obscurare, quibus paucioribus lumen maximum adferre posis? Neque vlla est causa, cur Scotistæ, distinctionem ex natura rei, & formalem, diuersas numerent, cùm vna omninò, eademque sint. Quis enim non videt, quod si quæ sit, ex natura rei, inter aliqua distinctio, eam necessariò ex formali quadam ratione, nasci debere, quæ ita verè in vno sit, præter omnem nostram intellectionem, vt in alio, eadem verè non reperiatur? hoc autem ipsum, est formaliter distingui. Atque hoc tandem, non solùm Scotistarum *(i)* aliqui fatentur, verùm etiam, pluribus rationibus, & Scoti ipsius dictis, confirmare, & ostendere conantur. Distinctio autem essentialis, vel erit formalis nostra, si verbis Scotistarum, mens & sententia correspondeat, vel certè realis, quando ea distinguunt essentialiter, quæ *(k)* separatim possunt existere, quod nos ijs tribuimus, quæ realiter sunt diuersa. Si quæ verò, se totis subiectiuè, vel se totis obiectiuè distincta sunt, vel formaliter vel realiter, vel certè vtroque modo, à nobis differre dicentur; etenim si quæ sint in diuersis categorijs constituta, & tamen ita cohærescant, vt à se mutuò seiungi nequeant, formaliter solùm, sin separari poterunt, & realiter & formaliter, erunt diuersa. Quod si eiusdem quidem fuerint

i Steph. Burl. in Epit. form. p. 2.

k idem vbi antea. parte 1. & Maurit. in Epit. formal.

rint naturæ, in distinctis tamen indiuiduis, realem quidem distinctionem admittent, formalem non item.

DE DISTINCTIONE, RATIONIS RATIOCINANTIS.

Quid distinctio rationis ratiocinantis sit, rectè docent Scotistæ; Est enim verè, vnius ab alio, vel etiam à seipso, per aliquod ens rationis, diuersitas. Hac igitur, res quæuis apprehensa, ab alia non apprehensa, vel etiam à seipsa, quatenus non apprehensa, differt. Præterquam autem, quod hæc definitio, colligi posit, ex ea descriptione, quam supra attulimus, cùm, quid distinctio sit, diximus; si ea negaretur à quopiam, sine magno negotio, probari & demonstrari posset. Cùm enim res, si ens rationis ei accidat, aliquid habeat, quod alia, vel etiam ipsamet, simpliciter considerata, sibi non vendicet, efficitur omninò, eam, vel à seipsa, vel etiam ab alia, differentem esse; & certè, non per vllum reale discrimen, ergò, per aliquod, ab intelligentia nostra, vel alia quapiam apprehendendi, vel cognoscendi facultate, profectum. Regulas etiam, de hac distinctione cognoscenda, quas ex ijsdem autoribus, supra posuimus, vt optimas, & certisimas, agnoscimus.

Vide Ant.Tròb. tractat. formal. p. 2. art. 1.

DE DISTINCTIONE, RATIONIS RATIOCINATAE.

I.

Distinctionem hanc, D. Thomæ *(a)* discipuli, rectè defendunt & explicant. Est enim verè, distinctio vnius ac eiusdem simplicis naturæ, à seipsa; quatenus eiusmodi est, vt aptè cõmodèq; intelligi ac comprehendi posit, alio atque alio conceptu, qui etiam ipse modo quodam, aliam atq; aliam rem, repræsentet. Vnde meritò, ad eam cognoscendam, hoc dogma, præcipuè inter cætera prodiderunt; Quæcunque diuersas cognitiones admittunt, quas tamen natura sua non postulant, ratione distincta sunt.

a Capreolus & Caiet. vbi supra. Fons. 5 metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. Videndus D. Thom. de veritate, q. 21. art. 4. ad 4. 1. sent. dist. 2. q. 1. art. 3.

II.

Non est autem, quod quisquam in rebus ipsis, hanc distinctionem quærendam existimet. Etenim, cùm formalem distinctio-

nem eam dicamus, quæ inter diuersas entitates, in rebus reperitur, si & rationis illa differentia, eiusmodi foret, quodnam inter illas discrimen statueretur? Est igitur in re, vna, (b) eaque simplex essentia & natura, quæ distinctionis huius fundamentum nuncupari potest, eò, quod multis, varijsque considerationibus, & animi nostri notionibus sit subiecta, ea ratione, qua id iam fuit explicatum, & melius sequentibus explicabitur. Vt enim menti & intelligentiæ nostræ, ea vis est concessa, vt, quæ verè multa sunt, atq; dispersa in rerum natura, vnire posit, atque modo quodam cogere, eò, quod vnionis illius ratio & fundamentũ, in ijs ipsis multis & diuersis cernatur, vt de vniuersalibus solet explicari; ita quemadmodum rectè Auer. (c) aduertit, aptus est animus noster, vt ea, quæ vnita iam sunt, atq; coniuncta secundum esse, diuidat ac separet, quamuis ipsa non diuidantur aut separentur secundum esse.

b Capreo. 1. d. 8. q. 4. concl. 4. pag. 228. col. 2.

c 12. metaphys. Com. 39. Et Capr. 1 d. 8. q. 4. pag. 227. col. 1. & 2.

III.

In mente (d) autem nostra, dum hoc pacto res inter se discernit atque dijudicat, duplex est distinctio. Vna quidem ipsarum intellectionum, quibus rem non vno eodemque modo, sed multis atque diuersis, percipit: altera ipsiusmet rei, quatenus obijcitur animo. Et quidem, prior illa, si liberiore verbi significatione vtamur, realis est, cuius extrema duæ intellectiones sunt, re diuersæ, hæretque in anima, vt distinctio realis quælibet, in eo, cui aduenit, non secus, ac relatio in suo fundamento. Secunda verò, distinctio rationis ratiocinatæ est, cuius extrema (e) res sunt, quæ cognitioni obijciuntur, non tamen ad eum modum spectatæ, quo extra mentem existunt, sed quatenus repræsentatæ sunt animo & comprehensæ. Atque huius distinctionis subiectum, nec res ipsa censenda est, vtpote quæ nullam distinctionem ex se habet, neque etiam anima, solum igitur obiectiuè est, cùm nihil aliud, quam rationis quidam respectus sit, rei distinctæ, ad se, & ad intellectum distinguentem, nulli vt subiecto adhærescens, quamuis fundamentum huiusmodi postulet, vt de illo, alia atque alia notio, verè conformetur.

d Capr. 1. d. 8. q. 4. ad 15. Aureoli contra 2. pag. 246. col. 2. circa finem.

e Capreol. vbi supra ad 1. Greg. cont. 2. pag. 241. col. 2. in fine.

IIII.

Porrò, inter hanc distinctionem, & eam, quæ simpliciter rationis appellatur, permagnum sanè discrimen est. Nam distinctionis

nis

nis rationis ſimpliciter, alterum extremum, ab intelligentia naſcitur, dum ea, rei in qua occupatur, rationis aliquid adijcit: quamuis non ſine cauſa & fundamento, aliquando id contingat; in diſtinctione autem rationis ratiocinatæ, ita comparatum eſt, vt eius nullum membrum, intellectioni noſtræ, quippiam acceptum referat, cùm ſingulæ in rebus ipſis cohæreant, licet abſque omni penitus, ad animum noſtrum reſpectu, non habeantur diſtincta; ex quo efficitur, vt diſtinctionis huius, etiam propinquum fundamentum ex re ipſa petere liceat, verè enim, in Deo v. g. & ſapientia, & iuſtitia, cæteraque ſunt.

V.

Et quanquam entis rationis, fundamentum proximum quoq; ipſum, in rerum natura exiſtere poſſe, negandum non ſit, diſtinctionis tamen rei, per ens rationis (quæ ſimpliciter eſt rationis diſtinctio) propinquum fundamentum, non niſi ab *(f)* animo erit, qui rationis quiddam, alicui tribuat, quod diſtinctionis proximum fiat fundamentum; cuius rei, ea ratio reddi poteſt, quod in diſtinctione rationis ſimpliciter, non duo aliqua aut plura, quæ ſint à rebus, conſiderationi noſtræ offerantur, neque vnum quippiam, non totum ſimul perceptum ac cognitum, vt in altero diſtinctionis genere contingit, ſed res quædam ſimplex, tota etiam alicui notioni correſpondens, quam deinde mens ac intelligentia noſtra, à ſeipſa diſtinguit, & quodammodo diuerſam efficit, per aliquid rationis adiectum.

f Ant. Tromb. tract. de formal. p. 2. art. 1.

VI.

Ergo, diſtinctionis rationis ratiocinatæ, vtrumque extremum, in rebus eſt, *(g)* licet coniunctim & ſimplici quodam eſſendi modo, rationis autem ſimpliciter, minimè, quippe cum huius extrema, ne vnum quidem & ſimplex ſint, in natura, ſed alterum ab intellectu proficiſcatur. Quin imò, non raro euenit, vt ne remotum quidem fundamentum, in mundo habeat, ſed vt ab intellectu procreetur, quod tum accidit, cùm v. g. figmentum aliquod, vt à nobis cognitum perceptumque conſideramus.

g Capreol. vbi ſupra ad 1. Greg.

VII.

b 1. d. 33. q. 1. art. 1. ad 3. Capr. 1. d. 8. q. 4. in solut. ad 4. Greg. Cont. 2. pag. 243. col. 1.

Inprimis igitur, hic expendendum venit, quod sapienter (b) D. Thom: commonet: Rationis verbum, bifariam vsurpari. Aliquando enim, pro eo sumitur, quod in ratiocinante existit, pro actu scilicet rationis, vel ratiocinandi facultate; aliquando nomen intentionis est, (siue pro definitione, siue pro ratiocinatione, vsurpetur) quæ quidem non in rebus inuenitur, sed in anima tantùm, quamuis in ijs, correspondens sibi quippiam habeat. Cùm igitur inter DEI attributa, prædicata essentialia, & eius generis res similes, rationis discrimen statuitur, minimè id similiter intelligendum est, atque si differentia hæc, non alia atque alia in re etiam suo modo esset, sed in ratiocinante duntaxat, ideò videlicet, quod in ipsis etiam rebus inuenias, quod rationibus diuersis correspondeat. Atque hinc orta est, illa rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ distinctio, vt (i) Capreolus quoque testatur.

i vbi antea ad 6 Scoti cont. 2. pag. 438. col. 2.

VIII.

k D. Thom 1. cõtra gent. c 36. Capreol. 1. d. 8. q. 4. ad 17. Aureol. cont. 2. pag. 247. col. 1. in medio.

l Capr. vbi sup. ad 8. Scoti cont. 1. pag. 239. col. 2.

Nemo (k) autem intellectum nostrum, cùm de vna eademque re, plures notiones, ad eum quem diximus modum format; vel (l) vanitatis, vel falsitatis, indicta causa condemnet. Vanus enim, tum iure diceretur, si nihil in rebus existeret, in quo ipsius actio, distineretur, omniaque chimæræ quandam similitudinem consectarentur; sed longè se res aliter habet, cùm illi veræ naturæ, atq; essentiæ proponantur, quæ eius notitiæ respondeant, & sint fundamenta diuersissimarum comprehensionum, nec vani, nec commentitij quicquam consectantium.

IX.

m Capr. vbi sup. conc. 3 pag. 228. col. 2.

Falsitatis autem, tum demum rectè eum argueremus, si notiones illas distinctas, quas habet, res ipsæ repudiarent, quod (m) tamen non contingit; DEVS enim v. g. verissimè iustus est, misericors, sapiens, &c. quemadmodum igitur nihil prohibet, quo minus cum DEO qui purissimus est actus, & maximè simplex, multas ac varias rerum creatarum formas, quodammodo conferas & compares, ita etiam nihil vetat, quin eidem, quamuis summè sit vnus, diuersos conceptus tribuas, cùm mens & intelligentia nostra, sic variè ac multipliciter eum apprehendit, vt res creatæ multiplicem illum repræsentant.

Nec

X.

Nec immeritò etiam, falsitatis insimularetur intellectus, si, quemadmodum rem percipit vt distinctam, ita eidem distinctionem insitam esse pronunciaret, non tamen se hoc crimine vllo pacto obstringit, quod distinctionem, non conditionem quandam, rei adhærentem, sed potius cognitionis suæ, siue rei, quatenus circa eam ipse versatur, modum aliquem iudicet, solum obiectiuè existentem, eò scilicet, quia id, quod vnum est atque simplex in re, varium esse potest, atque distinctum, in *(n)* animo. Vt igitur, quando vniuersale à singularibus abstrahitur, abstractio est quidem cognitionis modus, quem tamen animus non ipsis rebus, quasi alicubi verè inueniatur, tribuit, neque eam rerum modum esse arbitratur (hic enim cum re, cuius est modus, vt obiectum potentiæ percipitur, cùm tamen modus cognitionis, non apprehendatur, neque obiectum sit, nisi fortè reflexè) sed proprietatem quandam, intellectionem solam consequentem, vel rem in esse intentionali, non autem reali, sic & rationis distinctio, non rebus simpliciter adiacens quippiam existimatur, sed vel ipsiusmet cognitionis affectio, vel rerum, quatenus à nobis cognoscuntur, conditio.

n Capreol. vbi antea. ad 2. Greg. contra 2. pag. 242. col. 2.

XI.

Dictum est autem, neque sine causa, distinctionis huius terminos, fundamentis in rebus ipsis positis inniti, quod verè earum natura sit talis, vt varias atque multiplices notiones ferat, non tamen quales cuique libuerint, sed certas ac determinatas, atque hoc ordine modoque, non autem alio conformatas. Ex quo conijcere licet, quamuis res, distinctionem ex se non postulet, eam tamen hac esse ad distinctionem aptitudine & propensione, quæ exigat, vt si distinguatur, hac ratione id fiat, & non alia. Quocirca tametsi ex natura rei, *(o)* non magis sapientia & iustitia, in Deo discrepent, quam sapientia & sapientia; tamen sapientia iustitiaque, in ordine ad intellectum considerata disiident, quod multæ notiones differentesque, fieri de ipsis queant, aptaque sint, vt diuersa esse obiectiua, in animo sibi vendicent, quod de sapientia & sapientia, nemo vlla ratione concesserit, neque si in se spectentur, neque si cum intellectione nostrà conferantur, proindeque sapientia & iustitia, ratione ratiocinata diuersa sunt, sapientia & sapientia non sunt, quod doctè est à Capreolo animaduersum.

o Capr. vbi supra. ad 15. Scoti. cont 1. pag. 240 col. 2.

XII.

Hanc autem distinguendi rationem, ex duobus enatam, (p) idem author asserit; quorum vnum plenitudo est, perfectio atque vnitas rei, à nobis cognitæ, ac perceptæ; quæ talis est, vt perfectiones eas, quæ sparsim in ijs, quæ ignobiliora sunt, continentur, vnico eoquè simplicissimo actu, complectatur ac vniat. Ex quo hoc consequitur, vt, qui conceptus essent multorum imperfectiorum, sint etiam suo modo vnius, veruntamen perfectioris. Alterum, est exiguum, tardum, ac hebes ingenium nostrum, quod vel non potest, vel saltem non clarè & perspicuè vniuersum illum perfectionum cumulum, vnica actione cognoscere, ideò multis pro vna, cogitur vti, vt non absurdè dixerit, idem Capreolus; (q) Deum, à nobis, varijs actibus esse percipiendum, quamuis sine vlla ad res creatas analogia, intelligeretur.

p vbi sup. conc. 4 pag. 229. col. 1.

q ad 15. Scoti vbi paulò ante.

XIII.

An gradus generici & specifici, in rebus, hanc distinctionem, an verò maiorem aliquam postulent, dubium est, multi enim, qui attributa diuina, aliaque nonnulla, ratione solum existimant differre, gradus illos. formaliter distingui contendunt; neque enim necesse est, vt quam vni horum differentiam quis tribuat, eam etiam alteri continuò concedat; nobis tamen, (vt ex ijs erit manifestum, quæ de formali distinctione dicemus) maximè in hac re, D. Thomæ sententia probatur; nempè, gradus istos, in re, discrimen nullum agnoscere, nec inter se, neque ab inferioribus; sed eos, vnam eandemque rem simplicem esse, quæ tamen diuersas, ac varias notiones & considerationes, verè admittat.

XIIII.

Atque si hæc opinio, à vero non aberret, fundamentum huius distinctionis, non erit solum, quod quis fortè existimauerit, infinita quædam rei perfectio, aut imbecillitas intellectus nostri, qui ea quæ nequit vnica actione comprehendere, concipit ac apprehendit diuersis; sed quælibet perfectio, ex qua res habet, vt in ipsa, multæ ac variæ rationes, intelligi queant, ita inter se affectæ, vt earum vna, perficientis aliquam rationem obtineat, altera vero rei, quæ talis perfectionis capax sit, quamuis verè ipsæ, vnicum quippiam

piam ſimplex exiſtant, pro vt idipſum, magis minusue determinatè, percipitur ac cognoſcitur à nobis, quod generis ac differentiæ exemplo, ſi neceſſe ſit, poteſt declarari.

XV.

Neque vero rectè obijcitur, ex his effici, eandem eſſe in rebus creatis ſimplicitatem & puritatem, quæ Deo tribuitur, cui ſoli, hoc priuilegij concedendum quidem aiunt, vt ex diuerſis, à parte rei diſtinctis, non componatur; proindeque, ſe iam arbitrantur demonſtraſſe, gradus genericos, rerum à Deo diſtinctarum, ab ijs petendos, quæ ſaltem aliqua ratione, in rebus ipſis, ſunt diſtincta. Quamuis enim quiſpiam hoc negauerit, permagna ſanè nihilominus adhuc, & varia, Deum inter & res alias diſcrimina, poterit recenſere. Primò enim, nulla penitus eſt in Deo, ex eſſentia, & exiſtentia; natura, & ſuppoſito; quæ tamen in alijs verè reperitur, compoſitio. Secundò, nulla ſunt in Deo accidentia, ſed attributa; quæ à nobis, vt proprietates quædam ipſius, intelliguntur, prorſus & inter ſe, & cum diuina natura eædem, cùm tamen in alijs, accidentia omnia, ſaltem formaliter, & à ſe inuicem, & ab eſſentia, ſint diuerſa. Tertiò, intellectus noſter, DEVM, licet ipſe ſit ſimpliciſsimus, atque puriſsimus actus, in multas (r) rationes diſtribuit, vt ſucceſsione quadam apprehendat, quem ob infinitatem, ſimul complecti non valet; at in creatis eſſentijs, nulla eſt immenſitas, & præterea intelligentiæ noſtræ, ad eas proportio, ſeu comparatio. Ideoque, quamuis ex ea cognatione & affinitate, quâ vnam rem, cum alia videmus deuinctam, genus vtriuſque colligamus, & ex alijs differentiam, quæ quidem non rem totam, ſub omni perfectione indicant, (quemadmodum & diuina attributa) tamen, vbi eas generis differentiæque notitias, ſingulatim obſcurius & imperfectius, rem repræſentantes, nobis parauerimus, vnam ex illis ijſdem conformamus compoſitam, quæ iam clarè & perfectè, rem vniuerſam, ante oculos ponat; nihil tale, in diuinorum attributorum notitijs, quas de Deo formamus euenit, neque enim vna, neque plures coniunctæ, clarè & perſpicuè eum nobis exhibent. Multa ergo, inter Deum cæteraque manent, & magna diſcrimina.

r Capreol. vbi antea. concl. 2. pag. 228. col. 1.

Huic

XVI.

Huic diſtinctioni, Scotiſtæ, & Nominales, multa obijciunt, atque inprimis Gregorius, qui triſariam aliqua ratione diſtingui poſſe ait; *Primò*, quod ipſa ſint rationes, & conceptus quidam diſtincti. *Secundò*, quod duo pluráue exiſtant, quorum vnius conceptus, vel ratio, alterius conceptus non ſit, quo pacto & rationes ipſæ, & res extra animam, differre cenſentur. *Tertiò tandem*, aliquid diſtingui ab alio ratione dici poſſe ait, non horum modorum aliquo, ſed vt ipſum omninò vnum, ſecundùm ſe, propter plures rationes, ab intellectu conceptas, diſtinguatur à ſeipſo ratione, hoc modo, vt huius diſtinctionis extrema, non illæ rationes, nec aliqua ex ijs aggregata eſſe intelligantur; ſed, vt res extra animam poſita præcisè, diuerſis huiuſmodi rationibus ſignificata, à ſe diſtinguatur; & hoc fieri nulla ratione poſſe, multis rationibus oſtendere conatur, quas tamen non magno negotio, refellit Capreolus, (s) dum nihil quidem à ſe, ratione ratiocinata diſtingui, vltrò concedit Gregorio, nihil tamen ratione differre ab eo poſſe negat, à quo etiam re non ſit diuerſum. Igitur, neque ſapientia Dei, neque eſſentia à ſeipſa ratione diuerſa eſt, ſed eſſentia, à ſapientia; & ſapientia, ab eſſentia.

s vbi antea, ad 1. Gregor. 1. loco propoſitũ cont. 2. pag. 141. col. 2. in fine.

XVII.

Libet nunc, ſummatim vniuerſa ferè, quæ de hac diſtinctione diximus, tribus (t) Caietani pronunciatis, hic repetere, quorum primum eſt. *In Deo*, (loquitur enim de perfectionibus diuinis) *nulla, ſecundum ſe, diſtinctio eſt actualiter.* Secunda. *In Deo, ſecundum ſe, diſtinctio rationis eſt, virtualiter ſeu fundamentaliter.* Tertium. *In Deo, vt terminat actũ intellectus noſtri, diſtinctio rationis, actualiter eſt.* Quod autem doctor is, de diuinis attributis adfert, reliquis etiam, quæ hoc diſtinctionis genus admittunt, ratione quadam, poterit accommodari.

t De ente & eſſentia c. 6. q. 12. Eadem Capr. 1. d. 8. q. 4. præcipuè concl. 5. circa finẽ. pag. 229. col. 2. idẽ concl. 1. ꝓbat ex Com. 12 metap. Cõ. 39 Auic. 8 metap. ſuæ. cap. vlt. Algazel ſuę metaph. l. 3. c. 1.

DE DISTINCTIONE REALI.

I.

Atque hæ duæ diſtinctiones, rationis fuere; tempus nunc eſt, vt de alijs quoque agatur. Tertia igitur realis eſt, quæ inter illa verſatur,

tur, quorum vnum ab alio, vt res à re, differt. Res autem id appellatur, quod vel separatum existit ab alio, vel certè huiusmodi est, vt possit ab alio separatum existere.

II.

Cuncti autem Philosophi, quod inficiari nequeant, aliqua inter sese, hoc pacto diuersa esse, distinctionem hanc, summo consensu admittunt; quærunt solum, quænam eam respuunt, vel postulant; &, an distinctionis realis nomine, tantum ea, quam nos iam delineauimus, intelligi debeat, an verò latius sumendum verbum sit, vt minores quoque differentias significet? D. enim Thomæ discipuli, quemadmodum ex ijs, quæ dicentur, manifestum fiet, alia multa, præter ea, quæ à se mutuò possunt auelli, & seorsim esse, re distingui arbitrantur.

III.

Ne quis autem, in ipso statim limine impingat, aduertat necesse est, non redire eodem, re quippiam ab aliquo differre, & re cum illo idem non esse; sola enim realia entia, re distincta sunt, cùm tamen ens rationis, re distingui ab ente nequeat, licet non sit cũ illo idem; nec immeritò, cùm rectè Aristoteles 10. *(d)* metaph. doceat, idem & diuersum contrariè opponi, non autem contradictoriè, quemadmodum idem & non idem, opposita sunt. Quod si aliquando ens rationis, idem cum ente reali dicere consueuerimus, id negatiuè est intelligendum, quod videlicet reali differentia destituatur, qua re vera differat.

d T. 11.

IIII.

Ad hanc distinctionem cognoscendam, hæ regulæ præscribi & tradi possunt. Prima. *(e) Quæ separatim existunt, re diuersa sunt*; quamuis hæc non sic reciprocentur, vt quæcunque re diuersa sint, etiam existant separatim, vt materiæ & formæ, substantiæ & quantitatis, & alijs sexcentis, aliarum rerum exemplis, demonstrari potest.

e Scotistæ omnes vbi antea. Fons. 5. metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. Tolet. in Logica de prædic. in communi. q. 3. Not. 2.

V.

Secunda. *Quæ eius sunt naturæ, vt per vllam (f) potentiam separatim esse in natura possint, illa vniuersa, re distincta sunt; si quæ ad hanc conditionem descendere nolint, re distincta, censeri non debent.* Quamobrem aduertendum est, nihil obstare, quo minus eorum quæ re non dissi-

f priorẽ hui' regulæ partẽ, omnes defendũt, q antea sunt allatis; Posterior est †

E dent,

† Godefridi, apud Capreolum, 1, d. 8. q. 1. art. 2. argumento nono, pag. 195. col. 1.

dent, sed formaliter tantum, vnùm sinè altero, in mundo existat, sed tamen, vtrique id neutiquam concedi potest. Cùm enim communi quadam existentia gaudeant, vel rectiùs vnum existat propriè, alterum alterius ratione, quod propriam sibi existentiam vendicat, sine alio reperiri quidem aliquando poterit, vt autem id, quod eiusmodi existentia caret, alicubi sit absque altero, haud est futurum. Itaque, fundamentum sine relatione, & quantitas sine triangulari figura, v. g. cohærebit in mundo illa quidem, sed relatio sine fundamento, & figura sine quantitate, nusquam reperietur.

VI.

Tertia regula. *Quæ per se primò, diuersarum motionum termini sunt, re discrepant.* Motus enim, vt ex ijs patet, quæ de eius terminis explicari solent, ad rem aliquam existentèm terminatur. Ita tamen hæc regula est explicanda, vt per terminum motus, id quod primò acquiritur, intelligamus, quamuis fortasśis termini rationem, minus propriè obtineat, vt in locali motu euenit, in quo locus re diuersus est, inter ea quæ acquiruntur, quamuis *vbi*, natura posterius acquisitũ, quam locus, magis propriè motionis illius terminus dicatur, eò, quòd in ipsa re, quæ mouetur inhæreat, quod à loco est alienum.

VII.

g D.Th. 1. p. q. 41. art. 4. Fonsec. 5. metaphys. c. 6. q. 6. sect. 1. & cõmuniter omnes.

Quarta. *Ea quorum vnum alterum* (g) *producit, re distinguuntur*; si tamen de vera productione sermo sit, quod non sine causa apponitur. Nam & anima quodammodo suas producit facultates, & nonnulla alia, à quibus tamen ipsa, res diuersa non est existimanda.

VIII.

h de dist. c. 23.

Quinta. *Si quæ poßint, de se mutuò, sine reduplicatione negari, re diuersa erunt.* Huic regulæ multum Achillinus *(h)* tribuit, non est tamen ea, vt apparet, multum vsurpata, in communi loquendi vsu & consuetudine, cùm etiam formaliter solum distinctorum alterum, de alio, sine reduplicatione interposita, negare assueuerimus. Sic quantitatem non esse figuram, actionem non esse paßionem, motum non esse formam, solemus dicere, quamuis verè quantitas, qua quantitas, actio, qua actio, motus, qua motus, non est forma &c. dicendum foret.

Ex

IX.

Ex his perſpici poteſt, quid de ijs regulis, quas ſuperius ex Scotiſtarum ſententia, de hac diſtinctione retulimus, ſit ſtatuendum. Prima enim illa, vt rectè docet (i) Achillinus, falſitatis damnatur, quòd paſsiones aliquæ, vt naturales propenſiones & aptitudines, ſubiectum in quo hærent, originem ſuam agnoſcant, & tamen idem re cum ipſo ſint, niſi vt ipſe loquitur, diſtinguas inter originari ab altero, & fluere ab altero, quod ſatis vanum & voluntarium eſt. Sed tamen hæc regula, ſi noſtræ quam quartam diximus, accommodare ſe voluerit, eam à crimine abſoluemus.

i vbi antea.

X.

Secunda culpa non vacat. Quando enim illa, quorum vnum generatur, altero non generato, re ipſi differre contendunt, quidnam generationis nomine, intelligendum venit? An propriè dicta? atque compoſitum & relatio, re non diſtinguuntur, & tamen vnum horum generatur, altero non generato. An ea, qua ſubſtantia quocunque modo producitur? at ſentiens anima generatur, eius paſsiones non item; & tamen vna eademque res ſunt, vel ipſorum Scotiſtarum confeſsione. An fortè generatio illis idem eſt, quod quæcunque rei productio & ortus, per motum, ſi tamen ſit primus illius & immediatus terminus? atque ſic quidem quantitas, qualitas & locus generabitur, relationes autem & alia, quæ hæc concomitantur, non generabuntur, & tamen, re ab illis minimè diſtinguentur. An tandem, idem illis generari eſt, & quocunque modo incipere eſſe? certè, circularis figura, ſectio, localis motus, relatio, eſſe incipiunt, quando nec quantitas, nec ſubiectum, nec fundamentum, à quibus tamen illa res diuerſæ non ſunt, vllo pacto incipiunt. Quare rectè (k) Achillinus, hanc etiam regulam, erroris accuſauit.

k de diſt. c. 23. Fonſ. 5. metaph. c. 6. q. 6. ſect. 1.

XI.

Tertiam, eodem etiam crimine damnamus. Neq; enim neceſſe eſt, vt ea re diſtinguantur, quarum vno ſublato, alterum adhuc ſit ſuperſtes, vt relationis & fundamenti, figuræ & quantitatis, ac alijs penè innumeris exemplis manifeſtè conſpicitur. Et quanquam Scotiſtæ, relationem à fundamento, aliquando realiter diſtinguant, eius tamen rei rationem nullam legitimam reddunt, quod igitur ſine cauſa, ipſi aſſerunt, ab alijs negari, ægrè ne ferant.

XII.

Quartam regulam, vt certam & veram agnoſcimus; ſed ex ea, Scotiſtæ, eſſentialem potius ſuam diſtinctionem, quam realem iudicarent; cùm ex ipſorum mente, non quæcunque realiter diſtinguuntur, ſeparata eſſe in rebus poſsint, quod generatim, eſſentialiter diuerſis, tantum tribuunt.

Quintam adferunt alij talem. Quæcunque prædicamento differunt, re diſtinguuntur, ſed eſt omninò falſa; quemadmodum & illa, quæ ſpecie diuerſa ſunt, vt res à re diſsident.

XIII.

Sed contra ſecundæ regulæ, poſteriorem partem, multa D. Thomæ diſcipuli (l) adferunt, nobis reijcienda. Quamuis enim quæcunque ſeparatim exiſtere poſſunt, re diſtingui concedant, multa tamen, re verè differre opinantur, quæ ſic connectuntur, vt nulla vi poſsint, à ſe mutuò auulſa, in natura conſiſtere. Vniuerſa autem ad duo genera reuocant, quorum primum eſt eorum, quorum vnum, ab altero eſſentialiter dependet. Iccircò materies à forma, eſſentia ab exiſtentia, ſeparari prorſus nequeunt, quod ſeſe mutua quadam & intrinſeca dependentia reſpiciant.

l Capr. 1. d 3. q. 3. art. 2. ad 3 Adæ, cont. 1. pag. 131. col. 2, & 1. d. 8. q. 1. art. 2. ad 9. Godef. pag. 200. col. 2. & 2. d. 18. q. 1. art. 3. ad 1. Aureoli 2. loco ꝓpoſitũ cont. 2. pag. 380. col. 1. & 2.

XIIII.

Verum, hæc tela, tam formidoloſa non ſunt, vt qui iſtam regulã, vndequaq; defendere velit, ea magnoperè pertimeſcere debeat. Vt enim, ſi quid ab alio, tanquam à ſua eſſentia, vel aliqua eius parte, ſiue phyſica ea ſit, ſiue metaphyſica, dependeat, ab eo ſeparari non poſsit, quòd rem à ſua eſſentia ſeiunctam eſſe, ex ijs ſit, quæ effici nullo pacto queant; ſi tamen quippiam ab alio pendeat, vel, vt à termino relationis eſſentialis; vel, vt à cauſa efficiente, finali, materiali; ſi tamen materia ſit extrinſeca, vt ſubiectum accidentis reſpectu eſt, & materia, ſi cum forma conferatur; cur ab illo ſeparari ſe non patietur? Certè, potentias & habitus, ab actibus & obiectis, quæ tamen eſſentiâ & naturâ ſuâ reſpiciunt, diſiungi nemo negat, & res quaſdam, ante finem ſuum, intrinſecum etiam, poſſe conſiſtere, ſemen, cùm viuens, ad quod vt finem, ex internis ſuis principijs, eſt ordinatum, antecedat, ſatis manifeſtè declarat. Et cuius tandem externæ cauſæ vicem, Deus ſupplere non poterit?

omnis

omnis poterit, ipsius etiam *(m)* materiæ. Quamuis enim illa intrinseca sit composit.o, est tamen externa prorsus formæ, & accidentibus. Sanè nullam prorsus essentialem dependentiam, prohibere posse, quo minus id, quod propriam sibi existentiam vendicat, ab alio seiungatur, satis superque demonstrat, quantitatis à substantia remotio, quam Christianus philosophus nunquam inficiabitur. Et quã contradictionem admittemus, si illa, quibus diuersas essentias & existentias (quod realiter distinctis damus) tribuimus, à se mutuò auelli à Deo posse, concesserimus? neque enim vllius vel essentiæ, vel existentiæ, ex eo quippiam decedet. & tamen, adhuc superesse conuincetur, quæ dubio procul, si darentur, sibi repugnarent. At, quicquid contradictionem secum non adfert, effici à Deo posse, nemo vnquam negabit.

m Fons.5.metaphys. c. 2. q. 12. sect. 3.

XV.

Secundum genus rerum, quæ cùm diuersæ sint, dirimi tamen ac dissociari nequeunt, dicitur eorum esse, quorum vnum, necessariò ex alio manat ac resultat. neque enim fieri posse aiunt, vt id, quod horum præcipuum est, reperiatur vspiam, quin alterum habeat annexum; quamobrem, subiectum à passionibus, anima à potentijs, fundamentum & terminus à relatione, disiunctionem omninò recusant, ac deprecantur.

XVI.

At hæc etiam, parum vel nihil potius efficiunt. Si enim illa separationem defugiant, vel hoc oritur ex ea resultantia, quæ in agente est (quam actiuam dicunt) vel ex ea, quæ reperitur in illo, quod resultauit, & ex alio profluxit, (quam passiuam appellant) vel tandem ex respectu interno, quo id, quod promanasse ab alio, & resultasse perhibetur, affectum est, ad id, à quo ortum dicitur. At nullum horum, tantæ est virtutis ac efficacitatis, vt separationem prohibeat. Non enim primum. Actiua enim illa resultantia, ad actionem aliquam, quemadmodum & vis ea, à qua proficiscitur, ad efficientem causam reuocatur. Atque potest Deus, efficiens quoduis, ne agat, si solum numen suum, & cœleste auxilium ei subtrahat præpedire, præsertim, cùm efficere atque producere, ad essentiam ac naturam, non pertineat efficientis & producentis.

Nihil igitur obſtat, quo minus Deus Opt. Max. id, à quo quippiam re diuerſum oritur, ab eo, quod eſt ortum, diſiunctum conſeruet. Quod ſi naturales cauſæ, impedimentum inferre poſsint, actiuæ reſultantiæ, quam diximus, id Deus naturæ autor non poterit? Atque calor in aqua exiſtens, ne conſequatur, vel reſultat frigus, impedit; quod tamen, ſi ridendi facultas, res diſtincta eſt à ſubiecto, (quod ipſi fatentur) ita propria paſsio aquæ erit, vt ſubiecti ſui quæcunque alia. Et, quis idem frigus obſtare ignorat, quò minus lumen in aqua receptum, calorem reſultare & oriri, faciat? idem eſt in alijs aduertere. Nihil igitur primum eorum, quæ propoſueramus, pertimeſcendum. Neque ſecundum quicquam formidabile; neque enim reſultans, ab eo, ad quod reſultauit, niſi vel vt à termino relationis intrinſecæ, vel vt à cauſa efficiente, aut finali, aut materiali extrinſeca dependet; At quicquid horum modorum aliquo, ab alio dependet, ſeparari ab eo & auelli poſſe, ante oſtenſum eſt. Et certè, calorem qui ad lumen in aëre ſuſum reſultauit, ipſo etiam lumine ſublato, adhuc in eodem aëre permanere ſuperſtitem, experientia teſtis eſt. Ex quibus etiam apparet, quam vim tertium illud membrum habeat. Et quid mirum, ſi id, ex quo aliquid re diſtinctum eſt natum, poſſe abſque hoc conſiſtere contendamus, ſi Theologi doceant, multa etiam formaliter tantum diſtincta, & quæ naturâ conſequerentur ad aliud non neceſſariò conſequi? Sic ſubſiſtentiam ad naturam propriam, coextenſionem partium locati, ad locum ſe habere dicunt.

XVII.

Neque tamen prætereundum eſt, eorum nonnulla, quæ pro diuerſarum rerum exemplis, à Thomiſtis circumferuntur, formaliter duntaxat eſſe diuerſa, vt eſſentiam & exiſtentiam, totum & partes, fundamentũ & relationem, ſubiectum & paſsiones. Quod ſi re, vt ipſi dicunt, differrent, ſeiungi poſſent. Materiam autem à forma, rem diſtinctam eſſe, benè quidem dicunt, non ſeparabilem autem eſſe ab ea, ita vt adhuc exiſtat, nondum probarunt. Quid ergò tandem illis diſtinctio realis eſt? nihil aliud puto, quam quęcunque præter intelligentiam, rerum diuerſitas, non quæ neceſſariò, inter ea ſit, quæ exiſtentias tales habent, ob quas aut exiſtunt ſeorſim, aut ſaltem queunt per aliquam potentiam ſic exiſtere. Et

hoc

hoc quidem eos velle, satis videtur esse perspicuum, cum essentia ab existentia eorum iudicio re differat, quam tamen ab illa seiungi posse, vt sit, rectè negant, & à forma materiam rem distinctam asserant, quæ tamen propriam existentiam omninò auersatur, vt aiunt. Et certè (q) Caietanus eorum verbis, qui re diuersis, diuersas etiam existentias poscunt apertissimè reclamat.

q De ente & essent. c. 5. q. 10. ad 3.

DE DISTINCTIONE FORMALI.

I.

Hæc ferè sunt, quæ de reali distinctione dici possunt, reliquum nunc est, vt etiam de formali agamus.

Formalis igitur distinctio (a) entitatum est, naturâ suâ, seu ante mentis actionem, in rebus perfectè & actu differentium, quæ nec seorsim existunt ab alijs, neque etiam sunt tales, vt possint ab inuicem separari & esse. Dicitur autem (in rebus perfectè & actu differentium) vt secludantur ab hac definitione, prædicata vniuersa superiora, in serie alicuius prædicamenti, (quæ & gradus metaphysici, seu essentiales nuncupari solent) eorum respectu, quæ constituunt. Vt enim illa, ab inferioribus sibi subiectis, animo & cogitatione distingui rectè possint, nihil tamen in rebus ipsis agnoscunt differentiæ & discriminis, quod in homine, v.g. nullam prorsus entitatem inuenire liceat, quæ animal sit, & eadem non rationis capax, & homo; in formaliter autem distinctis, res aliter se habet, nec quod vnius conuenit entitati, alterius vnquam rectè tribuitur; quamuis enim res quæ relatio est, sit etiam res quę fundamentum appellatur, entitas tamen illa, quæ relatio dicitur, minimè fundamenti entitas est dicenda; idem in quantitate & figura, actione, & passione, forma & motu, & alijs quamplurimis aduertere licebit.

a Vide Fonsec. 5 metaphys. c. 6. q. 6. sect. 2.

II.

Sed quoniam non exigua difficultas est, an gradus metaphysici, formaliter quod multorum (b) patrocinijs defenditur, an solum ratione, vt D. (c) Thomæ placet, sint inter se distincti, id hoc in loco diligentius explicandum erit. Gradus igitur istos, non esse †

b Scotistarũ & aliorum neotericorum.

c Apud Dom. Soto. q. 3. vniuers ar. 2. ex c. 3. de ente & essen. & alijs locis.

† Dom. Bannes 1. p. q. 28. art. 2. & alij cõmuniter, vt Sonc. 7. met. q 36. Caie. de ente & essen. c. 3.

esse formaliter inter se diuersos, manifestum euadet, si animaduerterimus, quonam modo ipsi ab indiuiduo sumantur. Igitur intellectione nostra conquiescente, nulla prorsus indiuiduis inest distinctio, nisi materiæ atque formæ, in illis quæ corporea sunt, cæteroqui res quædam sunt simplicissimæ, quæ tamen fundamenta multarum variarumque distinctionum per intelligentiam existant. Primum igitur animus noster, diuersam indiuidui alicuius, v.g. Socratis, post diuersam naturæ notionem conformat. Videt enim, nil obstare, quò minus totam Socratis essentiam comprehendat, quamuis ipsum cuius ea est, non intelligat. Atque eandem quam concepit in Socrate naturam, in alijs etiam similibus indiuiduis reperiri cernit, ex quo eam ab illo singulari existendi modo distinctam esse, si non re, aliquo modo saltem, rectè concludit.

III.

Veruntamen, natura hac ratione ab indiuiduo separata & distincta, multarum adhuc diuisionum & distinctionum per intellectum capax est. Cùm enim ab ea multæ variæque actiones & perfectiones dimanent, vt v. g. ab humanitate, ratio, sensus, vita, extensio, subsistentia; aduertit animus, harum eas quæ minus sunt nobiles, præstantiores & nobiliores in sui intellectione & cognitione nō postulare, quamuis semper è contrario. Subsistere enim, quod cæteris iam numeratis omnibus, dignitate & nobilitate cedit, sine extensione siue corpore potest comprehendi, non contra. Similiter corpus absque vita percipi nihil vetat, quamuis viuens sine corpore nequeat intelligi: Atque idem de alijs iudicium, semper enim ea perfectio, quæ ignobilior est, nobiliorem antecedit, & ei quodammodo substernitur, non tamen contra.

IIII.

Hoc cùm ita sit, fit sanè, vt animus noster naturam hanc humanam v. g. variè ac dissimiliter possit intelligere, ac primum quidem, vt suarum perfectionum omnium infimā prodit; hæc enim, sequentes præstantiores ac nobiliores, in sua notione non complectitur, proindeque sine ijs cognosci apta est, vt diximus. Deinde, quatenus ab ea corporeum oritur; Tertiò, prout principium vitæ & vegetationis existit. Tunc, qua sensus est capax; & tandem

ad

ad extremum, vt rationem participat. Primo igitur modo ſpecta-ta, ſummum genus eſt, nempè ſubſtantia: ſecundo & tertio, ſubalternum, corpus videlicet & animatum: quarto, genus propinquum, nimirum animal; quinto demum ac poſtremò, ſpecies infima, ſcilicet homo. Atque hæc certiſsima ratio eſt, qua gradus eſſentiales, ſeu metaphyſici, ab indiuiduis abſtrahuntur, quæ ſanè maiorem diſtinctionem quam rationis, non conuincit.

V.

Quod autem ad diſtinctionem formalem impediendam, plurimum habet momenti, omnes iſtos gradus, non aliquid tantum eſſentiæ, ſed naturam totam, eius rei, cui conueniunt ſignificare, licet non ſecundum omnem prorſus rationem ac perfectionem; & ſimiliter omnibus & ſingulis conceptibus, quibus eorum vnus cognoſcitur, rem vniuerſam in qua ſunt percipi, duobus ex capitibus oſtenditur; quorum alterum ſumma rei cognitæ vnitas eſt; alterum verò, ratio ſeu modus, quo ipſa intelligitur. Ex primo igitur, ſic demonſtratur, quoniam id, de quo mens ac intelligentia noſtra cunctas notiones format, ſimpliciſsimum quippiam exiſtit, omnem diſtinctionem, præterquam interdum ſolius materiæ & formæ, repudians; idcircò, nihil quidem prohibet, quo minus de eo varias notiones effingamus, ſed tamen vniuerſæ, rem eandem repræſentabunt, cùm in Socrate v.g. non reperiatur aliquid, quod animal ſit, & non item homo; & quod vni alicui comprehenſioni, quæ circa eius naturam fit, obijciatur, & non etiam alteri, ſed totum quod in eo eſt, animal appelletur & item homo; totumque correſpondeat omnibus conceptionibus, quæ fiunt, licet ſingulis non comprehendatur, ſecundum omnes conditiones & perfectiones, ſed vnâ ſecundum vnam, aliâ ſecundum aliam; hæc formaliter diſtinctis, non rectè tribuerentur.

VI.

Vt autem idem ex concipiendi etiam modo innoteſcat, aduertendum, bifariam aliquid apprehendi poſſe; & inſtar partis, ſeu in abſtracto; & perinde vt totum, ſeu in concreto. Priori modo cognoſci dicitur, à philoſophis id, quod non intelligitur, vt vndiq; perfectum, omnibuſque ſuis numeris abſolutum, & aptum, vt

posit in rerum vniuersitate existere, per se; sed duntaxat vt ratio & causa, cur in alio, quod verè in mundo existit, hæ, vel aliæ conditiones ac perfectiones cernantur. Ex quo fit, vt, si (quà eiusmodi est) verbo aliquo exprimatur, cum omnium eorum præcisione significetur, quæ ad suam notitiam non pertinent. Quare, nec quicquam complectitur, prçter eam rationem & causam, ob quam id, quod verè in mundo reperitur, has vel illas conditiones habeat, v g potest considerari albedo, non quasi illa quicquam sit, quod ab alijs seiunctim vspiam inueniatur, sed solum vt talis, quæ verè in aliquo quod per se consistit in natura hæreat, tanquam causa, quamobrem ipsum sit hoc vel illo modo affectum, vt v g. album; atque si ita spectetur, solum albedo est, ab omnibus alijs præcisa, ac tanquam pars, seu in abstracto concepta.

VII.

Secundo modo intelligitur res, vt aliquid absolutum, perfectum, omnibusque ijs instructum quæ necessaria sunt, vt existat in rerum natura; quare licet tunc solummodo vna aliqua eius perfectio, clarè & euidenter exprimatur, attamen, cùm non quacunque ratione, sed ita significetur, vt potest existere, & esse vnum quid totum; includit etiam ea, quæ si abessent, non existeret; quare, non cum omnium eorum præcisione iam sumitur, quæ in sua notione non includuntur, quin potius multa eiusmodi connotat, eò videlicet, quod ijs opus habeat, vt subsistat, quod v. g. contingit in albo, hoc enim quia non quocunque modo, sed vt in mundo cohærens, & quid totum significatur, non solùm albedinem complectitur, (sola enim existere non potest) sed etiam subiectum. Atque hic secundus modus est eorum, quibus res apprehendi posse dicebamus, scilicet is, quo perinde vt totum quoddam comprehenduntur.

VIII.

Cùm ergo duplex ista cognoscendi ratio sese nobis offerat, natura aliqua nobis proposita, dupliciter etiam concipi apprehendiué poterit; & quidem vt pars, si tanquam abstractum quid intelligatur: vt totum verò, si in concreto percipiatur; & quidem priori modo intellecta, præcisè eam solam rationem significabit, per quam aliquid est homo, (si agatur de humana natura) at verò

poste-

posteriori, explicatè quidem illam eandem rationem, sed eam adeò perfectam & absolutam significabit, vt existere queat, ac propterea etiam vniuersa illa connotabit, sine quorum præsidio, subsistentiam non haberet, & quia humanitas, nisi in aliquo indiuiduo non existeret, idcircò, hac ratione concepta, implicitè indiuiduum aliquod includet, atque hoc nomine concreto, homo, exprimetur.

IX.

Vniuersi igitur gradus metaphysici, naturam vt totum quid, in concreto significant; quare licet solam aliquam perfectionem explicitè, confusè tamen, & per connotationem, totum id quod est in re designant. Atque hæc etiam est ratio, cur de subiectis sibi inferioribus posint enunciari: sicut enim accidens concretum, affirmatur de subiecto, non autem abstractum, quod illud totum, hoc partem explicet, ita etiam gradus essentiales de rebus sibi subiectis, rectè prædicantur, quod eas totas, non autem secundùm partem duntaxat, significent, pars enim non affirmatur de toto: quare etiam nomina naturarum abstracta, vt, humanitas v.g. & similia, contraria de causa non prædicantur.

X.

Ex his efficitur primò; vt quando v.g. hominem animal rationis capax dicimus, non eum ex duabus partibus, aut entitatibus conflatum significemus, quarum vna in ipso animal sit, & non rationis particeps; altera verò contra rationis particeps, & non animal; sed potius tam ex summa eius vnitate, quam eum cognoscendi modo concludamus, ipsum animal, quod in eo existit, tale esse, nempe rationale, & differentiam inter hæc tria, animal, rationis capax, & hominem; non perinde in re quæ simplicisima est, atq; in nostra intellectione positam esse; par iudicium de alijs.

XI.

Ex ijsdem colligitur secundò; genus, differentiamque, non esse aliqua duo, vt materiam & formam distincta, sed vnum idemque, diuerso tamen modo conceptum; & genus differentiæ iunctum, non remanere amplius commune quid, quemadmodum materia etiã formæ copulata manere solet, sed fieri particulare; ipsummet enim animal quod reperitur in homine, rationale quippiam est,

& non ſolùm homo eſt talis; ex quo etiam fit, vt quatuor iſta verba, Genus, Differentia, Species, Definitio, eandem prorſus poteſtatem habeant, diuerſo tamen modo. Nam genus (vt animal v.g.) totum id, quod eſt in ſpecie, ſed neque integrè, neque explicatè ſignificat, cùm ſolum aliquam eius perfectionem, communem ſcilicet & ignobiliorem explicet, reliquas confusè & indeterminatè connotet. Differentia (vt rationale) totum etiam quod continetur in Specie denotat, ſed neque vniuersè & integrè, neq; expreſsè, ſolum enim aliquam perfectionem particularem & nobiliorem ſpeciei declarat, cæteras autem ignobiliores tantum implicitè concernit, magis tamen totum indicat quàm genus, hoc enim communem aliquam perfectionem & obſcuriorem, differentia autem nobiliorem, & magis propriam explicat, ideoque clariorem totiuſque ſpeciei ſignificationem facit. Sed prætereà, quamuis differentia implicitè genus deſignet, non tamen indetermiuatè & confusè, rationale enim v.g. vt eſſe poſsit, & vt rationale, requirit determinatè animal, quamuis eius rationem non explicet, ſed ratiocinatiui duntaxat; Genus autem non ſolum implicitè oſtendit differentias, nullum enim exprimit, ſed etiam confusè & indeterminatè, non enim vnam potiùs requirit quàm aliam, cùm quælibet illarum ſit ſatis, vt ipſum poſsit exiſtere, & eſſe aliquod totum. Species (vt homo) vtrumque, & Genus & Differentiam notat, & quidem determinatè, implicitè tamen; nec enim generis nec differentiæ rationem declarat, ſed totum ex vtroque conſtitutum. Definitio autem (vt animal rationale) vtrumque & Genus & Differentiam denotat, ſed explicatè; vt optimè de his D. Tho: *(d)* dixiſſe videatur. Si homo aliquo modo ex animali & rationali dicatur eſſe, non erit ſicut res tertia, ex duabus rebus, ſed ſicut intellectus tertius, ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis, eſt ſine determinatione formæ ſpecialis, naturam exprimens rei; ex eo quod eſt materiale, reſpectu vltimæ perfectionis; Intellectus autem huius differentiæ, rationalis, conſiſtit in determinatione formæ ſpecialis; ex quibus duobus intellectibus, conſtituitur intellectus ſpeciei vel definitionis. Mirum igitur eſt, eos, qui in forma, actione, paſsione, &c. diſtinctas entitates non agnoſcunt, in vnica eaque ſimplicisſima indiuidui alicuius eſſentia, tantum cumulum diuerſarum formaliter entitatum videre poſſe. Maneat

d cap. 3. de ente & eſſent.

igitur

igitur quod ſupra diximus, gradus iſtos eſſentiales formaliter minimè diuerſos eſſe.

XII.

Sed iam ad reliquam huius diſtinctionis magis propriam doctrinam, redeamus. Hæc igitur quæ formaliter diſtincta nominantur, ſi diuerſas quoq; exiſtentias obtineant, realiter etiam diſtinguentur; quod ſi contingat, diſtinctio formalis non pura appellabitur, talis inter hominem & leonem eſt, v. g. ſi verò realiter non different, diſtinctio formalis pura dicetur, eiuſmodi inter figurã & quantitatem, animam eiuſq; potentias, eſſentiam & exiſtentiam, relationem & fundamentũ, & cætera innumera alia, ponimus.

XIII.

Hanc rerum differentiam Scotiſtæ vniuerſi admittunt, & reuera etiam Thomiſtæ, fatentur enim hĩ, eſſe naturas quaſdam, ante opus intellectus diſcrepantes, quæ tamen ſeparatas exiſtentias reſpuant; hanc autem nos formalem diſtinctionem nuncupamus. Et ſanè Ariſtoteles ipſe, vt ex ijs patet, quæ ſupra dicta ſunt, hanc diſtinctionis formam non ſolum approbauit, ſed etiam ſæpius vſurpauit.

XIIII.

Et quamuis eam nominales ferre nequeant, non quod realem eſſe arbitrentur, ſed quod inter ſolos conceptus verſetur, vt putant, quemadmodum omnis diſtinctio, quæ non eſt rerum, tamen eos falli, ex eo poteſt conuinci, quod figura & quantitas, relatio & fundamentum, differant etiam tum, quando nos illa non concipimus, quod vnum pereat, alio non pereunte; vnum producatur, alio non producto, longè ergò maior horum diſtinctio eſt, quam quæ inter ſolas conceptiones ſit, neceſſe igitur eſt, vt etiam aliquo pacto in rebus ipſis inueniatur; præterquam quod ea, quæ nos formaliter diſtincta dicimus, plerumq; diuerſorum prædicamentorum res ſint, auelliq; poſsint ab inuicem, vt exemplo ſeſsionis pa-

XV.

Sed cùm huius distinctionis propugnatoribus, non benè admodum recentiores quidem conueniunt, quibus cùm fusiùs agendum est. Hi cuncta quæ à parte rei differunt, realiter diuersa esse, & distinctas sortiri existentias, omninò arbitrantur, quod planè persuasum habeant, repugnare, duarum essentiarum vnam eandemq; existentiam esse; sed hi credo, non nihil de sua seueritate remittent, si Christi humanitatem considerauerint, eamque aut existentia, aut subsistentia verbi, subsistere aduerterint: sicuti ergo, quia humanitas assumpta est à verbo, non habet propriam subsistentiam, ita cùm inueniantur quædam, quæ non sunt res distinctæ ab alijs, sed solùm rerum quidam modi, vel simile quid, debent posse existere, eâdem existentiâ qua totum suum subiectum. Accedit etiam, quod si illæ distinctas existentias obtinerent, explicatu admodum esset difficile, quamobrem separatim existere nequirent. Et certè mirum est, eos hoc asserere, qui gradus metaphysicos formaliter ab inferioribus distinguunt, hinc enim manifestè concluditur, vniuersale à singularis existentia, distinctam adeptum esse. Equidem, si, quod nedum in mentem nobis venit, assereremus, diuersas essentias, vt res & res distingui; dubium non esset, quin distinctæ etiam existentiæ illis essent à nobis tribuendæ, sed tamen longè aliter est, cùm vnica tantùm res sit in natura, pluribus formalitatibus cumulata, quæ diuersis conceptibus intelligi requirunt: Præterea, ista quæ nos essentijs non autem existentijs distingui contendimus, non sunt res variæ, sed vel res & modus, vt essentia & existentia, qualitas & intensio, v. g. vel tandem res eadem absolutè & in ordine ad aliud considerata, vt anima eiusque facultates.

XVI.

Neque verum est quod obijcitur, existentiam maximè propinquum esse essentiæ actum, multas autem variasque essentias, eundem actum proximum habere non posse; neque enim vlla ratio apparet, qua id vniuersè probetur, cùm tamen & exemplis & argumentis, rem secus se habere, paulò ante ostenderimus. Nec verò mirum cuiquam videri debet, quod dicimus; quemadmodum enim res quædam sunt in mundo, adeò absolutæ perfectæque vt

sub-

ſubſiſtant ab omnibus alijs ſeiunctæ, vt ſubſtantiæ: aliæ contra, tam imbecilles & imperfectæ, vt naturæ viribus, niſi ab alio ſuſtententur, eſſe nequeant, vt v. g. accidentia, ita etiam quædam adhuc longè imperfectiores & debiliores reperiuntur vtpote, quæ propria exiſtentia omninò cohęrere non poſſunt, ſed tantùm aliena ſui ſubiecti, huius generis ea cenſentur, quæ nos inter formaliter diſtincta numeramus. Et quamuis duæ eſſentiæ, vnum & eundem exiſtentiæ actum, ex ſe proferre non valeant, nihil vetat tamen, quo minus aliqua tam imperfecta ſit eſſentia, vt nullum huiuſmodi actum proferat, ſed ſolum ſubiecti ſui exiſtentia conſiſtat.

XVII.

Non tamen exiſtimandum eſt futurum, vt, niſi diuerſis naturis diuerſas etiam exiſtentias conceſſerimus, accidens ſubſiſtere fateri cogamur, eò, quod potentijs animæ v.g. eiuſdem exiſtentiam tribuamus, quæ tamen ſubſiſtentia quædam eſt, nullo enim negocio hoc refellitur; vt enim qua exiſtentia anima, eadem facultates eius exiſtant; hæ tamen cùm ſint, non vt anima, ſed vt aliquid ipſius, potiùs inexiſtunt & inhærent; cuius ea redditur ratio, quod licet horum vtrumq́ue, per idem eſſe, reperiatur in vniuerſo, eſt tamen hoc proprium animæ, potentijs alienum; quare per illud anima eſt, vt aliquid per ſe, facultates verò eius quemadmodum aliquid alterius. Ex quo etiam colligitur, eandem exiſtentiam, vnius reſpectu ſubſiſtentiam, ſi verò conferatur cum altero, inhærentiam eſſe; quod illud vt aliquid alterius eſſe faciat, hoc autem inhærentiæ rectè tribuitur. Quod ſi quis hinc concludi contendat, potentias animæ per ſubſiſtentiam inhærere, quod non minus falſum plenumq́ue erroris videtur, quam vt aliquid per nigredinem albeſcat, occurrendum ei erit; fieri quidem non poſſe, vt quippiam per ſuam ſubſiſtentiam inhæreat, nihil tamen obſtare, quo minus id fiat per alienam, cum illa eadem, ſi reſpiciatur ab vno, ſubſiſtentia ſit, ſin verò ab altero, inhærentia.

tentiam refellendam. Est autem illud eiusmodi. Circularis figura v. g desinit, etiamsi ea à qua pendebat quantitas, non intereat; quod quo pacto fieri posset, non apparet, si figura illa (quod dicitur) eandem cum quantitate participaret existentiam. Neq; enim figura cessabit, quod eius essentia desinat, hæc enim qua talis, nec incipit vnquam nec desinit, vtpote nec generationi obnoxia nec corruptioni, desinet ergo vt essentia existens, seu quod eius existentia tollatur è medio; at si hæc eadem cum existentia quantitatis est (vt aiunt) cùm hæc permaneat, illa non interibit. Et sanè vix quicquam tam est incredibile, quàm vt illud intereat, cuius existentia superstes sit; & tamen, figura interire dicitur, salua quantitatis existentia, qua ipsa existere putatur ab ijs, qui hanc nostram sententiam sequuntur. Præterea cerâ quæ rotunda erat, in quadratam figuram formatâ, sic instant; essentia tota figuræ rotundæ incolumis relinquitur, omnis enim corruptionis expers est, remanet quoque existentia eiusdem, vtpote, quæ ipsa existentia quantitatis censetur, quæ mutatâ figurâ persistit. Ergo tota figura circularis, (quæ nihil aliud quàm essentia & existentia est) etiam postquam interierit, superstes erit. Quod non solùm absurdum videtur, sed etiam fieri nulla ratione posse.

XIX.

Attamen, hæc non rectè conclusa est ratiocinatio. Neque enim tum res aliqua solum tollitur, quando eius existentia cessat, sed etiam tum, quando quamuis hæc permaneat, eius tamen essentiæ, existentia esse desinit: In eo autem casu quem proposuimus, non interit quidem figuræ circularis existentia, sed desinit eiusdem figuræ esse existentia, idque propterea, quod diuersæ figuræ, in eadem quantitate se tolerare nequeant. Atque hoc inprimis accidentium exemplo declarari potest, quæ cùm non per se subsistant vt substantiæ, non habent etiam vnum & eundem desinendi modum, sed distinctos. Possunt enim, & sublata existentia subiecti, à quo necessario pendent interire, vt v. g. frigus & calor, si compositum cui inhærent destruatur; &, si propria eorum existentia cesset, vt cùm frigus v. g. à calore corrumpitur: simili ergo ratione, cùm quædam accidentia propria existentia destituantur, ea videlicet, quæ solùm formaliter differre diximus, non æquũ est,

vt, quemadmodum res propriam exiſtentiam ſibi vendicantes intercidunt, ita etiam ea interire & deſinere dicamus, cùm vel hoc ſolum corrumpi poſsint, quod ſubiecti exiſtentia illorum etiam eſſe deſiſtat. Idem hoc, exemplo humanitatis Chriſti perſpicuum eſt. Hæc enim, cum verbi ſubſiſtentia ſubſiſtat, non ſolum deſineret tum, ſi quod fieri nullo pacto poteſt, verbi ſubſiſtentia ceſſaret eſſe, ſed etiam, ſi iſta humanitatem deſereret, eo pacto, vt aliam ſubſiſtentiam non acciperet. Nihil igitur abſurdi eſt, ſi ea quæ proprium eſſe non habent, interire dicantur, etiamſi illorum exiſtentia adhuc ſit ſuperſtes, cùm ſolum ex eo tollantur, quod eſſe ſubiecti in quo reperiuntur, ad ea non amplius porrigatur. Atq; ex his facilè etiam cera iſta, cuius in argumento mentio facta eſt, eiuſque figuræ tractabuntur. Vt enim, & eſſentia & exiſtentia figurarum permaneant, ſi tamen hæ non coniungantur, exiſtentia quidem erit, eſſentia tamen eſſe non poterit. Sed meliùs reſpondebit, qui etiam figurarum eſſentias tolli dixerit, remanere enim, ijs quæ ſunt, attribuitur; eſſentia verò niſi exiſtat, non eſt; quod ea quà talis, nec eſſe, nec non eſſe, neceſſariò poſtulet, ſed ſolum notione ſua contineatur.

XX.

Vt autem hæc omnia penitus perſpiciantur planeque cognita ſint, tres reſpondendi modos aduertere neceſſe eſt, quibus omnibus alijs difficultatibus quæ fortè ex hac noſtra ſententia oriri poſſe videntur, ſatis fiat. Primus is eſt, quo ſumus hactenus vſi, ſcilicet, vnam eſſe duntaxat, & ſubiecti, & accidentis, quod tantum formaliter diſtinctum dicitur exiſtentiam, quæ non ſimpliciter & abſolutè, ſed diuerſorum reſpectu, & inhærentia & ſubſiſtentia nuncupetur, eò, quod vnum per ſe, alterum vt aliquid alterius eſſe faciat. Nec mirum, cum per illam tale cuique eſſentiarum eſſe ſuppeditetur, quale ipſa flagitat, illarumque vna aliquid per ſe ſit, quod non includit ordinem ad aliud, alia verò quippiam alterius, ne propriè quidem, ſed impropriè & metaphoricè in eo receptū, cùm ab illo non vt res quædam à re diſsideat, quod tamen ad ea eſt

maliter tantùm diſtincti exiſtentia, quæ duas tamen formalitates complectitur; ſubiecti enim reſpectu, ſubſiſtentia eſt; ſi verò comparatur cum accidente, inhærentia. Si quis verò hunc in modum nos vrgeat; vna exiſtentia, duas formalitates continet; ergò duas quoque eſſentias continebit; quod abſurdum ſanè videtur, cum exiſtentia eſſentiam nullam habent; bipartitam eſſentiæ acceptionem eſſe reſpondebimus, vel enim latiſsimè ſumitur, quatenus videlicet eſſentia & ens, quod tàm de eſſentia, quàm de exiſtentia dicitur reciprocantur, & ſic exiſtentia eſſentiam habet, cùm certa quædam natura ſit, qua ratione vnam exiſtentiam duas eſſentias, id eſt, duplicem exiſtentiæ rationem complecti, non inficiamur; Vel eſſentiæ verbum, ad ea ſignificanda vſurpatur, quæ ab exiſtentia ſunt diſtincta; & ſic concedi non debet, quod ſi exiſtentia duas formalitates habeat, totidem etiam complectatur eſſentias. Vt enim eſſentia quæuis formalitas ſit, non tamen continuò quæuis formalitas erit eſſentia, quod & ipſa exiſtentia quædam ſit formalitas, non tamen eſſentia, ſi tam religiosè hoc nomine ſit vtendum. Sciſcitabitur etiam fortaſsis quiſpiam, per quidnam hæ duæ exiſtendi rationes, vna fiant exiſtentia? non enim per nouã aliquam vtrique communem, quod (niſi velimus concedere, rem in infinitum abire poſſe) non detur exiſtentiæ exiſtentia. Sed occurrendum eſt, has ex ſua natura, non autem per nouam aliquam exiſtentiam vnam effici, ea de cauſa, quod tales ſint, vt ſibi correſpondentes eſſentias, non niſi ſimul faciant exiſtere, nec quocunque modo, ſed vt coaleſcant in vnum, eo pacto, vt ne diuinâ quidem potentiâ à ſe poſsint auelli & eſſe, quamuis quodque ſua exiſtentia gaudeat, formaliter ab alterius diuersâ.

XXII.


Neq; ſecundus hic modus idem cum primo eſt. In illo enim explicando, vnicam eſſe exiſtentiã & formaliter & realiter diximus, quæ (licet non ſimiliter pro ut naturæ diſtinctæ diſtinctos etiam eſſendi modos poſcunt) & ſubiecto & accidenti eſſe præbet, cùm id operis ac muneris habere videatur exiſtentia, vt non ſolum ſubiectum, ſed etiam vniuerſa faciat exiſtere, ſine quibus ipſum neutiquam reperiretur; qualia ea pleraque ſunt, quæ ſolum formaliter ab alijs diſtincta appellauimus: in ſecundo autem hoc modo, duas exiſtentias aſſeruimus; vnam ſubiecti, alteram accidentis, eaſq; formaliter diuerſas, quemadmodum id fuit explicatum.

XXIII.

Hæc de duobus prioribus modis, tertium nunc cognoſcamus. Duplex igitur exiſtentia reperitur, quædã imperfectiſsima, quę nihil aliud quã eſſendi quidã modus eſt, extra ſuas cauſas quacunq; tandem ratione id eueniat. Alia perfectior, qua aliquid perinde extra ſuas cauſas inuenitur, vt quid, à quocunq; alio diſtinctũ, aptũq; per ſe terminare motũ, & diuinitus ſaltem ab ijs, quę ad ſuã eſſentiã non pertinent, ſeiungi. Priori modo, haud dubiè cuncta, quæ formaliter diſtinguuntur, diuerſam habent exiſtentiã, ſecundo verò minimè. Quæcunq; autẽ in rerũ vniuerſitate extant, ſecundo modo exiſtentiam ſiue propriã ſiue alienã exigunt. Quicquid enim in mundo eſt, tale ſit oportet, vt aliquo pacto produci queat, & eſſe quid diſtinctum ab alijs, à quibus ipſum ſeparari nihil prohibeat; atqui hoc, niſi per exiſtentiã ſecundo modo acceptum, nunquam habebit.

XXIIII.

Ad hanc porrò diſtinctionem cognoſcendam, hæ regulæ poſſunt præſcribi. Prima. *Quæ vna eademq; definitione non explicantur*, vel (ſi careant definitione, quemadmodum genera generaliſsima) *quæ diuerſas habent deſcriptiones, formaliter differunt*. Diuerſæ enim definitiones, vel deſcriptiones, diuerſarum etiam eſſentiarum certiſsima ſunt indicia. Ea autem nos formaliter differre dicimus, quibus eſſentiæ non eædem, quamuis exiſtentia non diſtincta. Secunda ex priori conſequens eſt. *Quæcunq; differunt prædicamento, formaliter ſaltem differunt*. Tertia item ex priori colligitur, videlicet; *vt ea, quæ in diuiſione per partes eſſentiales inſtituta, in diſtinctis membris reperiantur, differant vt minimum formaliter*. Ex quibus fit quarta. *Vt quicquid in ſua eſſentia aliquid includat, quod non includitur ab alio, differat ab illo formaliter*; ſi tamen hęc in re, non ſolum autem in animo diſtinctionem agnoſcant, ex quo gradus eſſentiales formaliter diſtingui non efficitur. Quamuis enim per intellectum homo v.g. aliquid contineat, quod animal non includat vel contra, hæc tamen ſolius rationis diſtinctio eſt, in re enim, nullum eſt (vt ſupra diximus) inter genus, differentiam, ſpeciemq. diſcrimen; formalis au-



Errata grauiora ſic corrige.

PRIMAE PARTIS.


Not. 6. Nominalium, verſu 6. pro pluris; lege plures. In diſtinctione formali Scotiſtarum, verſu 3. omitte viam; vel verſu 5. aditum. Ibidem, Not. 2. verſu vltimo, pro qua; lege quam. Ibidem Not. 4. verſu 10. à fine, pro attribuantur; lege attribuatur.

SECVNDAE PARTIS.

De diſtinctione, rationis ratiocinatæ. Propoſ. 5. verſu 8. pro à rebus; lege in rebus.







Errata grauiora sic corrige.

PRIMAE PARTIS.

Not. 6. Nominalium, versu 6. pro pluris; lege plures. In distinctione formali Scotistarum, versu 3. omitte viam; vel versu 5. aditum. Ibidem, Not. 2. versu vltimo, pro qua; lege quam. Ibidem Not. 4. versu 10. à fine, pro attribuantur; lege attribuatur.

SECVNDAE PARTIS.

De distinctione, rationis ratiocinatæ. Propos. 5. versu 8. pro à rebus; lege in rebus.







Errata grauiora ſic corrige.

PRIMAE PARTIS.

Not. 6. Nominalium, verſu 6. pro pluris; lege plures. In diſtinctione formali Scotiſtarum, verſu 3. omitte viam; vel verſu 5. aditum. Ibidem, Not. 2. verſu vltimo, pro qua; lege quam. Ibidem Not. 4. verſu 10. à fine, pro attribuantur; lege attribuatur.

SECVNDAE PARTIS.

De diſtinctione, rationis ratiocinatæ. Propoſ. 5. verſu 8. pro à rebus; lege in rebus.

